



Stochflecke

G. f. 170

Thes. P. VIII. 367 641.

EXPLICATIO

ἑλεγκτικῆ

Evangelii Dominicæ tertiæ

post Epiphantias

Quam

DEO DUCE

PRÆSIDE

Dn.

JOHANNE GERHARDO

DOCTORE ET PROFESSORE
THEOLOGO.

Suo

*Patrono, Preceptore & Fautore æterna animi
observantia colendissimo,*

Publicè

ad disputandum proponit

JOHANNES Wachsmuth Longo-Saliffanus
Thuringus.

Ad diem April.

J E N Æ

Typis TOBIÆ STEINMANNI,

ANNO M. DC. XIX.



EXPLI

Evangelii Dominice tercia

DEO DICE

JOHANNES GERRARDO
DOCTORE ET PROFESSORE
THEOLOGO

Publico Professori et Praeceptorum animi

JOHANNES STEINMANN

1715

ANNO MDCCLXV





כחלהים

EVANGELIUM DOMI- NICÆ III. POST EPIPHANIAS.

*Matth. 8. à v. 1. ad v. 14. Marc. 1. à v. 40. ad fin. Luc. 5.
à v. 12. ad 15. & c. 7. à v. 1. ad v. 11.*

THESIS I.



Christus post devictum & de-
jectum Stygii Plutonis regnum, dicitur à di-
scipulis duobus Emaunta peregrinantibus,
*προφήτης δυνατός ἐν ἔργῳ καὶ λόγῳ εἰσαίτιον
τῶ θεῶ καὶ πάντος λαῶ.*

2. Continent hæc verba totius curriculi Christi ejusque officii descriptionem licet non plenissimam, tamen religiosissimam.

3. Quamdiu enim in terris vixit visibili modo, docuit ita *ὡς ἐπὶ πάντες λαοὶ ἐξεπλήσωνται ἐπὶ τῇ διδαχῇ αὐτοῦ, ἣν γὰρ διδάσκων αὐτοῖς, ὡς ἐξουσίαι ἔχων* Marc. 1. v. 22. Luc. 4. v. 31. vixit ita, ut nemo arguere eum potuerit de peccato Joh. 8. v. 46. operatus est ita, ut *nemo potuerit signa ista facere, quæ ipse fecit* Joh. 3. v. 2.

4. Jure g. auditores & spectatores ejus obstupefacti, & in admirationem rapti fuerunt Deum glorificantes quia nunquam talia viderant Marc. 2. v. 12. [viderant autem *paradoxa* Luc. 5. v. 26.] dicentes Luc. 7. v. 16. propheta magnus surrexit inter hos.

5. Utriusq; partis hujus testimonii Matthæus nobis proponit probationem, illius nimir. C. 5. 6. 7. 8. hujus verò aggre- ditur C. 8. & seqq. Nos pro instituti nostri ratione miraculum



Christi duplex, alterum quidem in *leproso*; alterum autem in *paralytico* editum, considerantes, videbimus eorundem *Antecedentia, Media seu Conjuncta, & Conseqq.*

O Deus afflatu nos rege Sancte tuo!

Miraculosa leprosi mundatio.

6. Flacius in annot. h. l. Molinæum allegat, qui ob diversitatem circumstantiarum, quibus Evangelistæ in hoc miraculo Christi describendo utuntur, non unum à tribus Evangelistis notari voluit leprosum: Sed quia Marcus & Lucas leprosi sui curationem iisdem penè consignârunt verbis, quibus Matthæus, & hic ordinem, occasionem & locum exprimit, ideò monente magno illo Theologo Chemnitio [cui consentit Salmeron. tom. 6. tr. 21.] Marci & Lucæ relationes ad Matthæi historiam conformandæ.

7. Matthæus autem C. 8. sic inquit: *καταβάντι δὲ αὐτῷ* vocabulo [δ:] notat antecedentia miraculi, quæ sunt vel *Remotiora, vel propinquiora.*

8. *Remotiora* sunt expressa C. 4. 5. 6. & 7. *Propinquiora* seqq. hoc C. 8. quæ sunt. 1. *Christi de monte descensio.* Mons iste fuit Thabor, *ναὶ ἱεροζὸν* ita dictus, quia Christus frequenter in illo *oravit & docuit*, imò integras noctes orando consumsit Luc. 6. vers. 12. 2. *Turbæ multæ affectatio*: Omnes autem huic turbæ *immixtos*, unitis notæ & monetæ fuisse, non putandum, cum ferè semper quatuor genera auditorum Evangelica offendat concio, *alii* nimirum audiunt propter doctrinæ jucunditatem, prædicatur enim annus Domini acceptus Luc. 4. v. 18. & 19. *alii* ex curiositate cum Atheniensibus. Act. 17. v. 21. *alii* ut tendiculas ponant, uti Pharisei Matth. 22. v. 15. *alii* ut à morborum sarcinis liberentur Luc. 6. v. 18 in quorum censu hic leprosus à Lyrano & D. Chemnitio in harm. numeratur.

9. 3. *Loci denotatio*: hîc discrepant Evangelistæ, Matthæus enim innuit, eum fuisse mundatum ante Christi in urbem ingressum, Lucas autem Cap. 5. vers. 12. in quâdam urbe, quod etiam contrariatur legi divinæ, quæ leprosos civitates inhabitare prohibebat Lev. 13. Num. 5. Sed facilis conciliatio:

eliatio : Lucas nomine civitatis etiam agrum & totum tra-
ctum civitatis intelligit more Hebræorum : Sic Jos. 5. v. 13. Jo-
sua vidisse dicitur angelum בְּיַרְיִחוֹ in Hiericho cum tamen in
agro duntaxat fuerit : simile exemplum Jos. 10. v. 10. præposi-
tio enim כִּי significat aliquando כִּי & notat vicinitatem; vi-
de Druf. in C. 5. Jos. v. 13.

10. Cajetan. & Jansen. volunt, licuisse leprosis urbes in-
gredi : sed illi repugnat veritum divinum Levit. 13. & 14. v. 3.
huic Matthæus, qui ait 1. Christum de monte descendente,
leprosum mundasse. 2. eo mundato civitatem ingressum. Utriq;
verò Abulensis & Salmeron h. l.

11. 4. *Objecti morbo affecti descriptio* ; cui præmittitur
vox Ecce, quæ mirabile quid in leproso notat, nim. illum neque
curasse, an aliqui ipsum horrent, vel minus, sed certò auxi-
lium Christi sibi pollicitum fuisse. Quæritur, an leprosus simul
cum turbis in monte fuerit? negativam suadet interdictio di-
vina : sed responderi potest : illum procul aliquantum stetisse
& nihilominus Christi concionem audivisse, indeq; fidem in
ipsum concepisse.

12. Describitur autem hoc objectum 1. *à sexu*, quod fue-
rit mas, foemina enim leprosa exemplum præter Miriam nul-
lum invenimus in sacris.

13. 2. *à morbo*, qui fuit lepra, in hebræo nomen habet צָרַע
validè perforavit, quod naturam hominis penetret; in Sy-
riaco idiomate dicitur כַּרְבַּח à vastatione, in græco vel à λεῦσις
h. e. decorticando; vel λίωσις intemperanter Veneri indulgen-
do, uti usurpat Athen. lib. 14. vide Henric. Stephani in Lexico
h. l. Avicenna vocat impetiginem excorticativam, quod cutis
lepra infecta in scabras squamulas resolvatur. De morbo hoc
vide Hippocr. lib. 3. aphor. 30. Celsum lib. 3. c. 2. Plin. l. 26.

14. 3. *à moribus*, ubi 1. *Christum accedit*, quia eum agno-
scebat Dominum Deum sanatorem suum Exod. 15. v. 26. 2. *ado-
rat* : hic Evangelistæ diversis utuntur vocabulis, Matthæus
προσκύνησεν, cui assentitur Syrus, qui habet כָּרַע incurvavit se, Mar-
cus προσηύχθη vel quòd in genua prociderit, vel quòd genibus
Christo

Christo advolutus fuerit, id quod supplicantium esse consuevit;
Lucas *πρὸς ἅν ἐπὶ πρόσωπον*, quo totius corporis reverentia signi-
ficatur.

15. Jansen. in Harm. h. l. vult, leprosum non adorasse
Christum ex eo, quia ipsum ut Deum agnoscebat, sed propter
exteriorem venerationem &c. Salmeron. autem h. l. dicit, lepro-
sum adorasse Christum *λατρεία*, id quod & ipse Jansenius paulò
post agnoscit, asserens, illum procul dubio agnovisse, Christum
esse Filium Dei: Ast & Filius Dei *λατρεῖα* adorandus. Id quod et-
iam patet 3. ex eius *precatone*; in qua occurrunt.

16. 1. *Compellatio*, nomine Domini, quod est magnum
illud divinæ omnipotententiae nomen. 2. *voluntati Christi sub-*
missio, *ἐὰν θέλῃς*: quæ non sunt verba dubitantis, sed humilime
se demittentis; nam potentiam credit, voluntatem sperat, quia
de seipso desperat. 3. *Propria indignitatis agnitio*, vocabulo me
expressa, quod scilicet nihil pro merito fuerit.

17. Quatuor g. virtutes ex precatone leprosi elucet.
1. *συντομία*: namq; *βαίτοις*, *πολλοὺς* Christus Matth. 6. v. 7. im-
probârat. 2. *θεοσέβεια*, cum Christum *καὶ ἀμφοτέρων* [divinam scil.
& humanam naturam] adorat in unione personali. 3. *σοφία*, cum
bona corporalia à spiritualibus distinguit, illa cum conditione
voluntatis divinæ petens. 4. *πληροφορία*, qua certissime confi-
dit, Christum sibi auxiliaturum si in gloriæ divinæ amplifica-
tionem & sui salutem hoc beneficium cedit.

18. Nonnulli volunt, hæc verba: *κύριε, ἐὰν θέλῃς, δὴνάσαι με*
καθαρίσαι, nullius rei petitionem significare, sed tantum immen-
sæ & liberæ potentiae agnitionem: Lucas verò habet verbum
ἰδεῖσθαι, Marcus autem verbum *παρακαλεῖν*; quod significat cum
obsecratione petere.

19. Fuerunt hæc *Antecedentia*; sequuntur nunc *Media*
seu, quæ cum miraculi patratiōe fuerunt *conjuncta*; vers. 3.
In quibus notanda 1. *causa impulsiva* *προηγμένη interior*, quæ
est intimus commiserationis affectus vocè *σπλαγχνιδεῖς* à Mar-
co expressus; *προκαταρτυτικὴ exterior*, est miseria viri summa, à Lu-
ca enim dicitur *πλήρης λέπρας*.

20. 2. *Manus Christi extensio*, haud dubiè dextræ, ubi
Synechi-

Synechdoche duplex occurreret, membri sc. manus pro brachio, & generis pro specie.

21. Quinq; aliàs modis lepra in sacris dicitur curata, per ablutionem in Naamam Syro 2. Reg. 5. v. 14. per ostensionem, in decem leprosis Luc. 17. v. 14. per separationem in Miriam Num. 12. v. 14. per inclusionem Mosis manus Exod. 4. v. 7. per tactum ut h. l. non autem fuit necessitatis, nam voce Lazarum sine actu in vitã revocaverat Christus, sed 1. humanam suam naturam à miraculo hoc noluit secludere. 2. probavit, se miserum quemq; non fugere vel horrere, ideo humiliatus tangit humiliatum, percussus à Deo percussam sanat, qui aspectu indignus judicabatur, sibi simili benefacit.

22. Quæritur hic, *an Christus tangendo leprosum contra legem peccarit divinam?* Resp. 1. ei qui morbum vel curare vel de eo judicare potuit, non fuit prohibitus tactus. 2. lex prohibebat eis tactum, qui pollui poterant: hinc Orig. hom. 5. in Matth. non solvit legem Christus tangendo leprosum, quia accedente Christi manu lepra jam fugerat.

23. 3. *Vocis prolatio*, ex qua elucet. 1. *voluntatis propositio* in voce *θέλω*. 2. *potentia sua ostensio*, quã pro autoritate sua dictatoria lepram secedere jubet, *καθαρίσθαι*: atque ita Christus quã aptissimè responsionem suam petitioni leprosi accommodat, significans in verbo *volo* pietatis clementiam; in verbo autem *mundus esto*, imperantis potentiam.

24. Sequitur *ipsa sanatio* *νομὴ ἐθεὸς ἐκαθαρίσθαι αὐτὸν ἢ λέγειν*; tribuitur hic aliquid accidenti, quod tamen competit substantiæ per hypallagen. Patet ex his *θεωμάτων* verborum Christi, *ipse enim dixit & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt* Psal. 33. v. 9. *facit mirabilia solus* Psal. 136. v. 4.

25. Super sunt *Consequentia* vers. 4. in quibus duo continentur 1. *Christi de non divulgando hoc interdictio*; *ὅτι μὴ ἀποκαλύψῃς* est synechdoche generis gemina, nulli dicas, scilicet de hac re & antequam te Sacerdoti ostenderis.

26. Quæritur, *cur Christus in publico hoc ediderit miraculum, & tamen noluerit id evulgari?* alii dicunt, Christum hic simulasse & contrarium scilicet prædicationem hujus miraculi voluisse:

voluisse : sed his contraria sunt 1. expressa Matthæi verba. 2. Lucæ quoq; qui habet vocem *παρηγγίλιατ*,³ cujus usus apud Græcos est in describendis magistratum edictis, exemplum est Act. 5. v. 28. ex scriptoribus profanis citat multa Henricus Stephani in Lexico, quem vide 3. Marci, qui utitur verbo *ἐμβριμασ*,⁴ quod est *μετὰ ἀνοηρότητ*⁵ *ἐπιτιμῶν* aut *μετὰ ὀργῆς λαλήσας*.⁶ 4. Syrus habet, Christum sanatum istum à se eiecisse & emisisse, quia nempe præviderit, illum non prædicaturum hoc beneficium debito modo.

27. Dicimus, 1. Christum miraculi istius revelationem non simpliciter prohibuisse, nam Marc. 5. v. 19. Dæmoniaco eandem præcipit, sed talem, quam leprosus meditabatur, antequam Sacerdoti sese ostendisset, periculum enim erat, ne si Sacerdotes de hoc miraculo famâ accepissent, ipsi, quo aliàs plusquàm Vatiniano adversus Christum laborabant odio, vel eum non pronunciarent mundum, vel miraculum extenuarent.

28. 2. Christum *ἀλαζονίας* vitium & ambitionis suspicionem à se remove voluisse quàm longissimè, atq; etiam in nobis sufficere; *plus enim laborandum, ut virtutes quàm vitia celsare studeamus* secundum Bernhard.

29. 3. Hilarius ait; Christum prohibitione ista voluisse cavere, ne alii leprosi & infirmi ad se venirent, non quasi nollet illis sanitatem tribuere, sed quod magis conversionem & fidem illorum exoptaret, quàm corporum sanitatem.

30. Quando g. Marc. 1. v. ult. mundatus dicitur prædicasse & divulgasse sermonem; id intelligendum est aut, quod factum post ostensionem Sacerdoti factam, aut si etiam ante, id contra interdictum Christi peractum, atq; ita nec rectè, nec benè, quia secundum Ambrosium, Deus non nostris cogitationibus, sed suis æstimandus est vocibus.

31. 2. *Ad Sacerdotem ablegatio*: cum Christus utatur voce singularis num. *ἑγών*, conjecturantur nonnulli, Pontificem Maximum sibi soli hanc potestatem judicandi & pronuncian-
di de leprosis vendicasse.

32. *Finis* autem hujus ablegationis indicatur duplex. 1. *Sacrifici-*

Sacrificiorum oblatio, quæ Levit. 14. describitur. Marcus addit, *ἀπο τῆς καθαρῆς οὐ*, quæ verba possunt accipi vel ita, ut debuerit sacrificia offerre in gratiarum actionem pro sua emundatione: vel pro suâ emundatione Leviticâ, leprosis enim non licebat mox cum sanis conversari, sed necesse habebant, diebus aliquot post certorum sacrificiorum oblationem expiari Lev. 14.

33. 2. *Testimonii contra ipsos prolatio*: *ὡς μαρτυροῦν αὐτοῖς*: quæ verba si jungantur cum verbo offer; voluit vel Christus sese excusare coram toto populo Judaico, quod non sit legis Mosaicæ destructor: vel simul indicare omnipotentiam suam divinam & officium, quod sit passerculus & agnellus mundus, spirituales peccati lepram expians, ut sepositis obrectationibus in ipsum ut Messiam aut crederent, aut inexcusabiles fierent, Hieron. & Cajet. Præpositio enim *ὡς* sæpe notat causam finalem, Joh. 1. v. 7. & LXX. aliàs phrsin hanc Hebraicam [testificari contra aliquem, ubi est præpositio Δ cum pronomine affixo] reddiderunt per pronomen Dativi casus, exempla sunt Deut. 32. vers. 46. 1. Sam. 8. v. 9. 1. Reg. 2. v. 42. Psal. 50. v. 7. idem quoque sensus est ejus præpositionis *ὡς* Marc. 13. v. 9. Jac. 5. v. 3. & Lucas C. 9. v. 5. resolvit hunc Dativum in *ὡς αὐτοῖς* i. e. contra illos: vide Piscat. in schol. h. l.

34. Si verò jungantur cum verbo Præcepit, Christus vellet, Mosen hoc præcepisse, ut esset illis in legem & statutum q. d. Christus, licet sis mundatus, nolo tamen, ut ea negligas, quæ Deus per Mosen populo Israëlítico in legem & testimonium statuit, Hilarius.

35. Christus scilicet testari voluit, se impetu uno Synagogam Judaicam de ponte non dejecturum, sed aliquod temporis spacium illi concessurum, donec cum honore sepeliatur, ut loquitur alicubi Augustinus.

Quæstiones circa prius miraculum.

Prima.

An divinitas Christi ex mundatione leprosi probari possit?

B

Negant

Negant Photiniani, dicentes, illam nec expresso scripturæ dicto, nec per bonam consequentiam [tametsi & hæc admittere nolint] probari posse: Nos pro affirmativa ex hoc Evangelio ita argumentamur:

Quicumq; facit miracula ex se & propriâ virtute, is est verus & æternus Deus:

Christus fecit miracula ex se & propriâ virtute.

E. Christus est verus & æternus Deus.

Majoris ratio est in Psal. 72. v. 18. *Benedictus Deus Israël qui facit mirabilia solus* & Psal. 136. vers. 4. Minor probatur 1. quod fecerit miracula, patet ex universâ quidem historiâ Evangelicâ, maximè verò ex nostrâ pericope, in qua duorum fit mentio; curat enim lepram, quæ fatentibus omnibus medicorum scholis & cathedris naturæ universæ creatæ ex se est incurabilis; idem confirmat Rex Israelis 2. Reg. 5. vers. 7. & Aaron Num. 12. v. 11. 12. 2. illum ex se & propriâ virtute id fecisse patet ex hoc:

Quicumq; attribuitur verè potentia seu facultas curandi morbum, qui omni natura ex se est incurabilis, ita ut eum curare posse dicatur modò velit, ille ex se & propria virtute potest morbum istum curare: At qui Jesu à leproso verè attribuitur talis potentia. E. &c. Ratio majoris est; quia qui non ex se & propria virtute sed aliena [nim. à superiori concessa] miraculosè curare dicitur, deo non potest verè dici, quod possit curare ^{id est} *θελεν*; facultas enim illa curandi non tam ex suâ voluntate, quàm ex voluntate ejus, à quo accipit hanc potestatem, dependet. Minorem confirmat leprosi petitio, quæ ita est conformata, ut planè eum confisum fuisse demonstrat, Christum tanta virtute pollere, ut possit se à morbo liberare, modò velit: Si enim Christum cum voluntate & facultate sua alius potestati & voluntati subiectum agnovisset, certè nec debuisset, nec potuisset dicere, *Domine, si vis* sed ita, *Domine si vult is, à quo tu potentiam curandi habes, tu quoq; me mundare potes:* & sic tantùm pro instrumentali causa superioris agentis, Christum agnovisset; at nullum instrumentum quatenus tale ex se & propria virtute agere potest. Cum g. absolutam potestatem, si modò velit, Christo le-

Ita leprosus tribuat, quæ à nullo alio superiore dependeat & in-
hiberi possit, quamq; etiam ipso facto probavit, sequitur con-
clusio, Christum esse verum & æternum Deum.

Sed Photiniani excipiunt ex Joh. 5. v. 19 & 30 : *Quicumq;
non potest operari à seipso, ille etiam non est verus & æ-
ternus Deus : Christus non potest operari à seipso. E.*

Resp. 1. Agere vel operari à seipso duplici modo dicitur :
vel propriâ quidem potentiâ, sed ab alio tamen accepta agere,
quâ ratione dicitur Filius à seipso agere : vel non propria, sed a-
liena virtute ; & sic non dicitur à seipso agere. 2. quod Christus
hic Patri tribuerat, id etiâ sibi ipsi tribuit Joh. 10. v. 18. C. 16. v. 15.
C. 5. v. 19. C. 10. v. 30. 3. Verba *non agere à seipso*, non notant a-
liquam inferioritatem vel inæqualitatem, sed summam & inti-
mam *αὐτοκρατία τῆς θεότητος* ; quia scilicet una numero est essen-
tia Patris & Filii, idcirco Filius nihil potest facere, quod non
faciat Pater. Hinc & Christus ipse Joh. 5. mox subjicit : quæ-
cumq; Pater facit, eadem & Filius *ὁμοίως* facit, nim. eadem poten-
tiâ cum patre. A proprietatibus autem personalibus differenti-
bus, non potest differens *σοία* vel agendi potentia concludi :
Christus quatenus est Filius & à Patre ab æterno genitus, eate-
nus nec essentiam nec potentiam operandi habet à seipso, sed
à Patre, esse enim à seipso & operari à seipso, se in invicem con-
sequuntur, id quod tamen ipsam essentiam, quæ illius potentiæ
est veluti principium, non tollit.

Deinde ex Act. 2. v. 22. sic concludunt : *Per quem Deus mi-
racula fecit, ille non est ipse Deus : Atqui per Christum
Deus miracula fecit. E.*

Resp. 1. est ambiguitas in voce *Deus* : sumitur enim in
Scripturis quandoq; *θεοὶ* & significat omnes tres personas di-
vinitatis, ut Deut. 6. v. 4. quandoq; verò *ὁ θεός*, & sic signifi-
cat patrem duntaxat Jo. 3. v. 16. 17. Filium tantum 1. Tim. 3. v. 16.
Spiritus S. 1. Cor. 1. v. 9. Si g. priori sensu vocabulum *Deus* in-
majore accipiunt, falsa est minor : sicut enim ratione essentia
Christus est verus Deus ; ita etiam virtutem operandi miracula
divinam in seipso habet, nec Deus per illum tanquam instru-
mentum miracula operatur. Sin verò posteriori, concedimus

totum syllogismum, sequitur enim tantum, Christum non esse Patrem; licet autem non sit Pater, nihilominus essentiam vere divinam habet; Alias concludi etiam posset, Photinianos non esse veros homines [licet humanam virtute actiones humanas exerant] quia non habent naturam & essentiam humanam a seipsis, sed a parentibus. 2. quando Petrus ait, *Deum per Christum fecisse miracula*, non important hæc verba inferioritatem aliquam in essentia divina [alias sequeretur, quod etiam Pater sit inferior, quia *per ipsum omnia dicuntur esse* Rom. II. v. 36.] sed saltem ordinem, non dignitatem. 3. Sin verò essentia divinæ inferioritas ex his colligi debet, sequitur Deum Patrem non aliter per Christum fuisse operatum, quam per Apostolos, quibus tanquam mediis & instrumentis in miraculis non nullis edendis usus fuit ipse; quod tamen absurdum esse, probat hic syllogismus: *Per quemcumque, Apostoli tanquam per principalem causam miracula fecerunt, ille ex se & propria virtute fecit miracula. Atqui Apostoli per Christum tanquam per causam principalem miracula fecerunt. E. &c.* Majoris ratio est: causa enim principalis ab instrumentali hoc modo differt, quod illa agit propria virtute & ex se; hæc verò non nisi aliena & ab illa sibi concessa. Minor probatur ex Act. 9. v. 34. ubi Petrus est causa instrumentalis, qui agit vi Christi, uti principalis. Quod autem Christus sit principalis causa, id confirmant incolæ Lyddæ & Saronæ suâ fide, quam non in Petrum sed in Dominum conceperunt. Si autem Christus est principalis causa miraculi & ex se propriaque virtute fecit illud, sequitur illum esse verum & æternum Deum, id quod erat probandum.

Quæstio secunda.

An Calviniani concedere cogantur duarum in Christo naturarum unionem realem & personalem, ita ut humana natura per hypostasim τῆς λόγῃ subsistat?

Affirmamus, & ita procedimus: Christus, qui sanat leprosum,

prosum, verè est persona: In persona autem Christi fatentibus
Calvin. duæ sunt naturæ, divina & humana: harum quælibet
aut habet propriam hypostasim, aut una tantùm habet, aut nul-
la. Tertium est absurdum: sic enim Christus sine personalitate
propria fuisset persona: primum quoq; absurdum; sic enim duo
essent Christi; ubi enim duo sunt distincti modi subsistendi
personales, ibi etiam duæ sunt distinctæ personæ: Relinquitur
g. unam tantùm naturam in Christo propriam & peculiarem
habere hypostasim. Aut g. divina tantùm natura, aut huma-
na tantùm, propriam hypostasim habet: posterius est absurdum:
sic enim Ens simpliciter independens dependeret ab Ente de-
pendente. E. manet prius. Ulterius: humana Christi natura
vel subsistit in persona τὸ λόγος, vel non: Si posterius, nullibi
subsistit, quia humana natura una numero subsistere non potest
sine personalitate: At humana Christi natura non habet pro-
priam personalitatem. E. relinquitur, illam nullibi subsistere,
si non subsistit in persona τὸ λόγος; hoc autem est impium & in-
Christum blasphemum: Ex his ita colligimus: *Quæcumq; na-
tura in Christo subsistit non suâ propriâ subsistentiâ, illa subsistit in
persona τὸ λόγος, ita ut ab eâ personetur: Atqui humana natura in
Christo non subsistit suâ propriâ subsistentiâ.* E. Subsistentia au-
tem illa humanæ naturæ non potest esse absq; communicatio-
ne reali personæ τὸ λόγος, ubi enim est participatio subsistentiæ,
ibi etiam est communicatio personæ τὸ λόγος, cum realiter ista
duo non differant. Qualem verò communicationem hîc in-
telligamus, videantur nostratum Theologorum scripta, nim.
non illam, quæ est κατὰ μέθεξιν, nec quæ est κατὰ σύγχυσιν, neq; ac-
cidentalẽ, sed illam quæ est κατὰ συνδύασιν, quâ ὁ λόγος commu-
nicavit hypostasim suam humanæ naturæ sine subjectivâ in-
hæsiõẽ, realiter tamen non verbaliter & nominatenus tan-
tùm. Sanè Calviniani quidã videri nolunt & haberi; qui ne-
gent vel unionem duarum naturarum, vel communicationem,
aut verbalem tantùm affirmant esse; videatur Pareus in Meth.
controv. ubi quit. p. 9. & Tossanus in disput. de persona Christi:
Sed si fratres Cadmæos conferamus & committamus, inter se
prælia miscent: alii enim ajunt, & hi verbalem quandam con-
cedunt

cedunt unionem, per quam intelligunt nudam combinatio-
nem, sustentationem, gestationem, *παράστασις* vel *παράθεσις*, addita
donorum creatorum communicatione, cum tamen ad veram
istam unionem & communicationem requiratur *τῶν ἐνωθεῖσάντων*
φύσεων περὶ χάριτος, uti loquitur Damasc. lib. 3. c. 4. orth. fid. quò fa-
ciunt illorum similitudines, quib. partialem saltem, accidenta-
lem & *ἡστικὴν* unionē largiuntur, de Oceano amplissimo & per-
exigua Antuerpiâ, annulo in digito &c. quarum plurimas re-
censet M Fridericus Petri in Calvinianorum Nestorianismo p.
166. *Negant autem alii* expressis verbis: Grabius in refut. lib.
D. Hunnii de persona Christi p. 49. Danæus in exam. lib. D.
Chemnit. de duabus nat. C. 12. & in apologet. ad Jacob. An-
dreæ p. 21. Sadeel in operib. Theolog. f. 153. ait, *nihil quod est*
essentiæ divinæ rei creatæ potest communicari: subsumo: *Illā na-*
tura, quæ est in Christo præter humanam, est essentiā divinā, E.
illa natura, quæ est in Christo præter humanam, non potest com-
municari rei creatæ. Rursus, *ubi nulla est communicatio, ibi nul-*
la unio, & quidem realis, duarum naturarum, quia unio &
communicatio hîc immediatè cohærent. *At qui inter divinam*
& humanam naturam, ut jam ex sententia Sadeelis est demon-
stratum, *nulla est communicatio. E. inter divinam & humanam*
naturam in Christo nulla est unio & quidem realis. Sed fortè ex-
cipient: Sadeelem loqui de essentiali communicatione seu syn-
chyticâ, & hanc rectè illum negare.

Resp. 1. quid opus erat, de illa aliquid contra nostrates
Theologos asserere, cum ejusmodi communicationem *λόγος*
& humanæ naturæ nusquam docuerint, imò neq; per febrim
ullus illam somniaverit. 2. Quod loquatur de synchytica
communicatione, ex verbis ejus, quæ conceptuum notæ &
symbola sunt, colligi non potest; universaliter enim dicit,
nihil, quod est essentiā divinā rei creatæ potest cōmunicari; ne-
gat g. *ὅτι πάντως* omnem communicationem; atque verba ejus: ne-
queunt in specie de synchytica exponi; à negatione enim
unius speciei, ad negationem generis, non valet illatio, nec
à negatione unius speciei ad alterius speciei negationem valet
consequentia: Etsi divina natura non communicatur essentia-
liter rei creatæ & per *σύνχυσιν*, est tamen alius modus communi-
candi.

candi. 3. Quin ipse Sadeel in volum. oper. Theol. p. 148. statuit, humanam naturam non subsistere ἐν αὐτῷ λόγῳ, quia subsistat tantum in loco localiter: λόγῳ autem non est locus. Si non in λόγῳ: E. subsistet extra λόγον, ex naturâ oppositorum, & sic personaliter unita non erit λόγῳ.

Ursinus in defens. argumentor. cont. Ubiquit. arg. 3. sic loquitur: ubiq; est λόγῳ homo, quia est ubiq; unitus humanitati et si humanitas cum λόγῳ non sit ubiq; ; causa est, quia idem ille λόγῳ totus & integer, qui est extra corpus, etiam in suo corpore est, eiq; unitus manet: λόγον enim uniri corpori totum & totum λόγον esse in suo corpore, non est idem, quod in corpore tantum & non simul etiam extra illud existere: Ex quibus hoc teximus argumentum: *Quodcumq; totum est extra corpus, illud etiam totum est ἄσαρκον: sed totus λόγῳ postquam humanam naturam assumpsit, est extra corpus. E. totus λόγῳ est ἄσαρκον.* Rursus:

Quod ἄσαρκον est, id cum carne realiter unitum non est: Totus λόγῳ secundum Ursin. est ἄσαρκον E. totus λόγῳ cum carne realiter unitus non est. Absurd. Sed negabunt in priore syllogismo maiorem prop. Verum quâ fronte? nam 1. extra corpus seu carnem esse, quid aliud est, quàm sine carne esse? 2. quando quæritur ex illis, an persona τῷ λόγῳ, antequam assumpsit humanam naturam, fuerit extra carnem, cogentur hoc affirmare. Si autem hoc, tunc aut ἄσαρκον aut ἑσαρκον dicendus erit ὁ λόγῳ; posterius falsum est, aliàs sequeretur ante conceptionem in Maria λόγον & humanam naturam fuisse personam. E. relinquitur, quod fuerit ἄσαρκον: quomodo autem? nimirum quia non fuit cum carne unitus & ita extra carnem & sine carne. E. major vera; minor autem, quæ Ursini, falsa erit. Aut si Calviniani vitare voluerint scyllâ, incident in charybdim, statuendo contradictoria: *Si λόγῳ totus est extra carnem & totus in carne, λόγῳ totus simul erit ἄσαρκον & simul ἑσαρκον: Atqui totus λόγῳ, secundum Calvinianos, est simul in carne totus & simul totus extra carnem. E. totus λόγῳ erit simul ἄσαρκον & totus simul ἑσαρκον, quæ sunt contradictoria.* Tandem cum Eutychianismi hæresin Tossanus, Ursinus, Pareus, Sadeel aliiq; nobis jam diu impingere voluerint: nos illos citius & felicius Nestorianismi convis-

convincemus, utpote quem fovēt in seqq 1. Statuit verbis unio-
nem personalē & unā personam, illorū autem ratiocinationes
& similitudines contrariū evincunt 2. dicunt, Verbū in assumpto
homine inhabitasse eo modo, quo in sanctis scilicet per *τὸ λόγος*
atque ita inhabitatio *τὸ λόγος* in assumpta carne saltem secun-
dum magis & min⁹ differret ab inhabitatione *τὸ λόγος* in sanctis;
cum tamen differant specie; stante autem hoc Calvinianorum,
unio solvitur & persona geminatur. 3. dicunt, hæc propositio-
nem esse tropicam & disparatam de disparato prædicari verba-
liter; imò *Deum nullā suā potentiā efficere posse, ut hæc propositiones*
absq; tropo sint veræ, Deus est homo; & Homo est Deus. 4. ne-
gant realem communicationem idiomatum; cum enim dici-
tur; Deus est passus, id ita interpretantur, homo est passus, in
quo Deus habitat. 5. Christo quā homini majestatem & glo-
riam summam tribuunt, non autem propria Deitatis attribu-
ta, & negant, eam majestatem, scientiam & potentiam, quam
Christus homo à patre accepit, esse vel tempore, vel genere, vel
numero rerum, vel agendi viribus illi majestati & gloriæ pa-
rem quam idem Christus habet, quā Deus est. 6. Pareus ait
in Irenico p. 269. quod *Christus homo substantialiter sit Deus,*
quæ propositio est apertè Eutychniana: nihil enim est substan-
tialiter Deus, nisi quod est de substantia seu essentia & naturā
ipsius Dei. Atqui Christus homo non est de substantia seu es-
sentia & natura ipsius Dei. E. sic g. quam labem alius inurere
volunt, ipsimet sibi affricant.

Quæstio Tertia.

*An quilibet pius & credens possit de salute
suâ esse certus?*

Negat Concil. Trident. sessione 6. c. 12. Id sequitur Sta-
plet. in promptuario Cathol. super hoc Evangel. dicens, verba
hæc: *Domine si vis, potes me mundare:* valere contra certitudi-
nem fidei de præsentī salute & futura gloria: Bellarminus lib. 3.
de justificat. c. 2. & 12. certitudinem justificationis destruere &
ejus incertitudinem astruere laborat quàm maximè. Verùm
contra

contra hoc dubitationis & fluctuationis Pontificie terriculamentum, quod doctrinam fidei obruit, ipsam fidem evertit & conscientias perturbat [Lutheri verba sunt in comm. super Epist. ad Gal. C. 4.] sic argumentamur;

1. *Quicumq; potest in individuo misericordiam Dei & meritum Christi sibi applicare, ille etiam potest esse certus de sua salute: Atqui omnis pius & credens potest in individuo sibi applicare misericordiam Dei & meritum Christi. E.*

Majoris ratio est; quia plures nostræ salutis causæ principales nõ dantur, quam hæ, ideo in sacris literis revelatæ, ut pii in tentationibus & aliis calamitatibus se iisdem solari & erigere possint. Minor probatur, quia promissiones Evangelicæ de misericordia Dei & merito Christi sunt. 1. *Universales*: ast omne universale rectè potest ad omnia particularia accommodari: & ita omnis pius & credens subsumere potest, quod ad se se quoq; pertineant. 2. *certa & firma*, ut quæ triplici nituntur fulcro, nim. 1. *omnipotentia Dei*, de qua Paulus 2. Tim. 1. vers. 12. 2. *fidelitate Dei*, *fidelis quippe est Deus* 1. Cor. 10. v. 13. 1. Cor. 1. v. 8. 3. *Dei voluntate bona* Phil. 2. v. 13. Si g. quilibet pius de salute suâ certus esse non potest, dubitandum ipsi vel de omnipotentia, vel fidelitate, vel voluntate Dei: At de nullo horum potest dubitare: quia scit, Deum ὑπὲρ πάντα ὑπὲρ ἐν πείρασόν, quam petit aut cogitat, posse facere Eph. 3. v. 20. scit, *rectum esse verbum Domini & omnia opera ejus in fide* Psal. 33. v. 9. *scit vocationem Dei & ejus dona esse* ἀμεταμέλητον Rom. 11. v. 29. E. cum omnis ansa dubitandi sit præscissa, manet, quod quilibet pius & credens, si talis sit & maneat, de salute suâ æterna possit esse certus.

- II. *Quicumq; traditur sigillum, ille etiam de re sigillo obsignatâ & confirmata potest esse certus.*

Atqui unicuiq; pio traduntur sigilla scilicet Sacramenta.

- E. *etiam quilibet pius de re sigillo obsignata & confirmata potest esse certus.*

Major probatur ex hoc, quia sigilla sunt confirmatio & roboratio illius, de quo inter partes est conventum, quodque verbis promissum, & deinde in literas est relatam, ita, ut ubi
C illa

illa sunt appensa, de veritate & certitudine rei promissæ nullus sit dubitandi locus. Minor constat, quia unicuiq; pio in Individuo Sacramenta cōferuntur, quæ sunt figilla à Deo ipso sacrae Scripturae [quæ est epistola omnipotentis Dei ad creaturam suam, in qua verba Dei sonant & cor Dei discitur Gregor. ep. 84. ex Aug. ep. 69.] affixa; hinc circumcisio dicitur *σφραγίς διαίσεως τῆς πίστεως* Rom. 4. v. 11. Abrahamo & omnibus ejus posteris [singulis in Individuo] concessa: Cui in N. T. successit circumcisio, hincq; ei omnino idem effectus est ascribendus, id quod ipsa Scriptura facit, cum eum dicit *ἔπερὸν τῆμα bonæ conscientiae* *ἐν θεῷ* 1. Pet. 3. v. 21. *λατρεῖν παλιγγενεσίας* Tit. 3. v. 5. *nos in baptismo Christum induere* Gal. 3. v. 27. & Petrus Act. 2. v. 38. *baptisetur unusquisq; in nomine Jesu in remissionem peccatorum & accipietis donum Spiritus sancti.* Quò pertinent piorum veterum elogia, quibus baptismum ornaverunt, quæ vide in primis apud Basil. tom. 1. p. 446.

III. Pugnat dubitatio isthæc cum natura fidei, ut quæ vocatur *ὑπόστασις* firma & immota animi fiducia Hebr. 11. vers. 1. *πληροφορία* Rom. 4. v. 21. *παρρησία* Eph. 3. v. 12. quæ gratuita Dei misericordiae & merito Christi innititur. Quomodo autem cum fiducia certissima incerta titubatio, cum plenissimâ persuasione opinio fluctuans, cum firmissimâ subsistentiâ nutans consistere possit dubitatio, concilient, si possunt, Dubitantes Papicolæ & carbonariæ fidei propugnatores.

IV. Addere possumus exempla singularium personarum, quæ certissimè salutem æternam sibi sunt pollicitæ: Pauli, qui Rom. 8. v. 37. ait, *πέποιθα* *firmiter persuasum habeo*, Phil. 1. v. 19. *novi, quod hoc mihi cedit in salutem.* 2. Tim. 1. vers. 12. *certus sum.* Davidis, qui tantâ in Deum nititur fiduciâ; ut certissimè speret, se non confusum iri & c. Abrahami, qui instar exempli omnium fidelium proponitur Rom. 4. Quæ Stapletonus, Bellarminus & alii Concilii Tridentini in crustatores, in contrarium afferunt; vel agunt de incertitudine quo ad impetrationem bonorum corporalium & externorum [perinde ut Lopez, Jansenius in harmonia & Costerus hanc allegatam leprosi petitionem accipiunt] vel tendunt ad absolutum decretum.

tum Calvinianorum [à quo nos sciunt alienissimos] vel procedunt à justitia operum ad justificationem coram Deo; vel ex infirmitate fidei vel ab externis eventibus [qui bonis & malis interdum sunt communes] ad fidei *πληροφορίαν* & certitudinem, ideoq; fallaciam accidentis, *επεροζητήσεως*, causæ & fimiles gignunt, & scopum quæstionis non feriunt.

Quæstio quarta.

An Christus solius divinæ naturæ operatione leprosum sanarit?

Calviniani in affirmantem, nos in negantem concedimus sententiam, & pro hac hæc producimus argumenta.

I. *Quandocumq; Christus fecit miracula corporeo utens actu, tunc humanam suam naturam ostendit istorum miraculorum esse participem, ita ut non soli divinæ naturæ ista miraculosa operatio ascriberetur:*

Atqui Christus quando hic sanavit leprosum. &c. E.

Ratio consequentiæ in majore est: si humanam naturam à participatione miraculorum voluisset segregatam, divino quodam nutu illa fecisset, nec humanæ naturæ ministerio usus fuisset, quia secundum divinam naturam omnia, quæ vult, in cælis & in terris facere potest. Minor est in textu v. 3. ibi enim fit mentio extensionis manus, & vocis, quæ sunt humanæ naturæ *ἐνεργειῶν*.

II. Quia ipsi secundum humanam naturam in tempore data est omnis potestas in cælo & terra Matth. 28. v. 18. [quæ potestas non est finita & creata; si enim talis, quomodo omnis potestas in cælo & in terra ipsi data; nec potest dici secundum divinam naturam Christo in tempore data, quia eam ab æterno per generationem à Patre habuit; neque ex gratia ei aliquid potest dari, quemadmodum nomen illi datum est Phil. 2. vers. 9.] Eph. 1. v. 20. 21. E. procul dubio etiam omnipotentia erit ei secundum humanam naturam data, gratia cujus miracula edere potuit.

III. *Secundum quam naturam Deus Pater Christum unxit Spiritu sancto & potentia, & secundum quam obambulavit in terris, secundum eam etiam sanavit omnes à diabolo oppressos.*

Atqui secundum humanam naturam Deus Pater Christum unxit &c. E.

Major patet; cum enim in finem infinita plenitudine Spiritus sancti à Patre est unctus & in terris obambulavit, ut miracula talia & tanta propria virtute posset edere. Minor probatur ex Psal. 45:v.8. Act. 10.v.38. Hinc quoq; pii veteres cum de miraculosis Christi operationibus loquuntur, humanam naturam non excludunt, sic Chrysostr. in Matth. 5. *corpus leprosum à manu sancta factum est mundum.*

IV. Quin Calviniani ex propriâ suâ hypothesi humanam Christi naturam à patratione miraculorum excludere non possunt, licet velint: *quicumq; enim veram, realem [non verba-lem & nudam $\chi\epsilon\tau\iota\kappa\eta\iota$] τὴν λόγῳ & humane naturæ in Christo unionem coguntur concedere, illi etiam veram idiomatum communicationem largiri coguntur: Atqui Calviniani veram & realem unionem τὴν λόγῳ & humane naturæ in Christo concedere coguntur. E.* Majoris ratio est ex illo Calvinianorum: quæcumq; non differunt realiter, eorum communicato uno communicatur etiam alterum: Atqui persona τὴν λόγῳ & ejus proprietates non differunt realiter. E. personâ τὴν λόγῳ humane naturæ communicatâ, etiam ejus proprietates ei erunt communicatæ, & per consequens etiam omnipotentia. Ex quo sequitur, etiam humane naturæ in Christo competere realiter operationem factam post communicatam illam omnipotentiam, quia illi per communicationem personæ τὴν λόγῳ realiter competit omnipotentia divina, quæ una est & eadem, quodocunque Christus per eam operatur etiam secundum humanam naturam; aut sequeretur eandem omnipotentiam simul agere & non agere; quod contradictorium. Calviniani contrâ docent, ad miracula efficienda hum. nat. Christi non plus contulisse, *ac virga Moysis, vel caro Apostolorum, vel lutum & sputum.* Danæus in exam. lib. D. Chemnit. de duab. nat. in tom. oper. ejus p. 1579. *ac simbria vestis*

stis ad sanandam hæmorrhoidiam, Sadeel de verit. hum. nat. Christi p. 141. Resp. Si ejusmodi unionem humanæ nat. Christi statuunt, qualis fuit virgæ & Mosis, fimbriæ & Christi &c. aperti Nestoriani evadunt: si non, sed talem qualem nos describimus, concedere coguntur veram & realem communicationem idiomatum & operationem unam eandemq; divinæ & hum. nat. in personâ τὸ λόγῳ.

Pareus fanè in Iren. p. 267. 268. dicit, hanc accusationem esse falsam [sed contra propriam conscientiam] rationem addit; quomodo doceremus, Christum hominem non propria virtute miracula edidisse, quem propriâ Deitate Deum esse, credimus & profiteamur: Deus enim propriâ virtute utique miracula fatit.

Resp. 1. aliud quæritur, nim. de Christo homine, aliud respondetur, de Christo Deo. 2. utitur vocabulo hominis, intelligit autem tantum λόγῳ, quia quodcumq; in Christo non aliena sed propria virtute edidit miracula & propriâ Deitate Deus est, id Pareus per vocabulum hominis h.l. intelligit. At Christus, quâ homo assumtus, non propria virtute [sed sibi à λόγῳ communicata] edidit miracula, nec propriâ Deitate est Deus. E. Christum quâ hominem Pareus h.l. per vocab. hominis non intelligit. Major est in verbis Parei allegatis. Minor probatur ex eod. lib. ubi passim negat, ἐνεργεῖαν miracula edendi à λόγῳ humanitati Christi realiter esse communicatam p. 265. 268. 3. Turpiter sibi contradicit; nam in principio contendit; Christum hominem non aliena sed propria virtute edidisse miracula; deinde virtutem istam propriam fuisse humanitatis [ast p. 625. humanitati in abstracto idiomata divinitatis communicata negat], personaliter, nunc circa finem eandem Christi humanitatem omnimodice communicatione ἐνεργείας internæ prorsus exiit & præter externam actionem [voluntatis, vocis, imperii] nihil quicquam ei relinquit; an ullum ita statuit discrimen in edendis miraculis inter Christum quâ homo, & alios, Prophetas & Apostolos, si Christus qua homo, seu secundum humanitatem nihil internè, sed tantum externâ actione cooperatus fuit τῷ λόγῳ? Eutychetis & Schwenckfeldii errorem nobis quoq; tribuit, & in compendium

diūm Arianorum argumentum Damasceni [qui dicit ^{ἐκ τῶν}
^{θαυμάτων τῆς αὐτῆς δόξης ὅτι τῷ πατρὶ τὸν χεῖρον ἔγνωμεν, ἐνεργεία δὲ θεῶν}
^{τυγχάνει τὰ θαύματα}] nos enervare criminatur. Cum tamen non
negemus duas in Christo distinctas naturas, nec istarum natu-
rarum proprietates distinctas, nec dicamus, humanitatem à di-
vinitate post incarnationem esse absorptam vel ita confusam,
ut una tantum sit natura: Nec negemus cum Schwenckfeldio
Christi carnem nobis esse coessentialē: Sed doceamus, ^{ἐνεργείαν}
^{λόγῳ} propriam miracula faciendi esse communicatam carni
assumptæ, retentâ naturalis originis differentiâ; sic enim Chri-
stus nos docuit Joh. 5. v. 50. quod caro sua sit vivifica. Et quæ con-
sequētia: *Lutherani docent, humanam naturam Christi ex unio-
ne personali cum λόγῳ accepisse vim & virtutem edendi miracula
divina. E. evertunt argumentum Damasceni in compendium
Arianorum; Idem est ac si dicerem, ferrum ob unionem cum
igne urit & lucet. E. in ferro urente & lucente non est ignis.
Quin potius stabilimus ejus argumentum: virtutem enim &
omnipotentiam divinam humanæ naturæ cōmunicatam, loco
fundamenti & principii præsupponimus, ita ut si caro Christi
cum ipso λόγῳ realiter non fuisset unita, talem potentiam &
virtutem etiam non acceperit. Pessimè quoq; nobiscum age-
retur, Si Ariana & Photiniana sectæ tam amplam aperi-
remus fenestram, ac Calviniani: Hi enim 1. dicunt pro ne-
ganda communicatione idiomatum: *quacunq; realiter non dif-
ferunt, illorum uno communicato, etiam alterum communicatur:*
subsumunt Photiniani: hypostasis & essentia Patris non diffe-
rent realiter. E. cōmunicata essentia Patris, necessariò etiam hy-
postasis Patris filio in æterna generatione cōmunicata, aut si hæc
non cōmunicata neq; illa cōmunicata erit. 2. Contra præsentia
corporis Christi actū naturali in uno loco, personali autē in plu-
ribus dicunt: *quot sunt modi subsistēdi, tot etiam sunt essendi.* Pho-
tiniani subsumunt: In Trinitate sunt tres realiter distincti modi
subsistendi. E. & tres essendi, & per consequ. tres essentiæ, tres
dii. 3. Calviniani affirmant, *Christo secundum utramq; naturam
infinite potestatem esse datam* Matth. 28. vers. 18. Ex his Photi-
niani ita inferunt. E. Christus non est æternus Deus, Deo enim
dari*

dati nihil potest &c. atque in plurimis aliis pontem ipsis steterunt, ita, ut sapissimè ad Calvinianorum detorsiones & explanationes provocent; hinc illud præmi loco ipsis evenit, ut hypothesebus suis salvis, quibus contra nos in articulis fidei utuntur, nunquam sufficienter illis respondere possint, sed ultro in castra eorum concedere cogantur, id quod exempla eorum testantur, qui à Calvinismo ad Arianismum, ab hoc ad Mahumetismum defecerunt.

Quæstio quinta.

An lepra arguat peccatum originis?

Peccatum originis expressè olim negavit Pelagius Brito tempore Theodosii junioris, cujus hæresin describit August. de hæres. C. 88. eundem errorem ex orco revocarunt alii directè & obliquè, ut Anabaptistæ, Cinglius, quidam Pontificii, de quibus omnibus vide Dn. Præsid. tom. 2. Loc. de peccato orig. §. 57. inprimis verò strenuè negant illud Photiniani in Catech. Racov. p. 285. Ostor. in instit. germ. c. 33. p. 273. n. 5. Sommer. in tract. de justificat. f. 40. & 43.

Sed peccatum orig. non esse otiosam λογωμαχίαν aut inanem ἀκρίβηλογίαν, multò minus καίνοφωσίαν, minimè omnium Augustini figmentum aut fabulam Monachorum, ex nostro textu ita probamus:

In quocunq; est defectus sanitatis, in illo est peccatum orig.

In leproso hoc fuit defectus sanitatis. E.

Major patet; quia omnis effectus proprius arguit suam causam propriam. At defectus sanitatis est effectus proprius peccati originalis. E. Ubi enim est defectus sanitatis, ibi est contracta integritas, ubi autem hæc non est, ibi est corruptio naturæ, ubi hæc, ibi peccatum orig. tanquam fons, causa & mater omnium malorum. Huic probationi addimus illa Scripturæ dicta, in quibus omnes homines dicuntur natura filii iræ Eph. 2. v. 3. omnes necesse habere ut regenerentur ex aqua & Spiritu Joh. 3. v. 6. cum quicquid ex carne nascatur, caro sit; omnes à conceptione sua esse immundos Job. 14. vers. 1. hæc autem à nulla alia causa profi-

proficiscuntur, quàm à peccati labe, quàm cum non omnes ho-
mines per imitationem, assuefactionem & propriam perpetra-
tionem inficiantur, sequitur ex carnali generatione illos ea
affici. Photiniani autem excipient, nos τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν, si-
quidem argumentum procedat ex falsâ hypothesis, quasi imago
divina amissa. Deinde probandum adhuc esse, quod corporis
integritas & sanitas fuerit particula imaginis divinæ. Resp.
Prius ita probamus: *Ad quodcumq; homo est renovandus, id am-
plius non habet: Atqui renovandus est ad καινὸν ἄνθρωπον κατὰ θεὸν καὶ
ἐν τῷ ἐν δικαιοσύνη καὶ ὁσιότητι τῆς ἀληθείας Eph. 4. v. 24. E. homo καὶ
ὁὗτος ἄνθρωπος non est. E. est vetus homo, qui corrumpitur juxta con-
cupiscentias erroris vers. 22. Posterius hoc modo:*

*Quicumq; fuit immortalis, ille non fuit morbis obnoxius,
Adam ante lapsum fuit immortalis. E.*

Majoris ratio est: esse enim immortalem & morbis obno-
xium, sunt contraria. Minor habetur Gen. 2. vers. 17. Quin si
imago Dei inviolata adhuc superest, homo non tantum habe-
bit plenum imperium in omnia bruta, sed etiam perfectam sa-
pientiam & justitiam: Posterius est falsum. E. & prius. Ratio
connexionis est, quia hæc fuerunt potissima membra imaginis
divinæ, uti constat ex collatione Gen. 2. cum Eph. 9. v. 22. & seqq.
Col. 3. v. 10. Minorem comprobatur non solum sacra Scriptura,
verum etiam ipsa experientia, quæ vel stultorum poterat esse
magistra: sublata g. imagine Dei, ejus contrarius habitus vitio-
sus successit, qui est peccatum originis. Cumque secundum
Augustin. veritatis tanta vis sit, ut interdum etiam clausos ad-
versariorum feriat oculos, id ipsum in Ostorodo quoq; depre-
hendere licet, sic enim ille in instit. germ. c. 34. p. 281. *Ob wir wol
nicht zugeben/ daß wegen des ersten Menschens Sünde menschliche
Natur solte verderben seyn. So concediren wir doch gerne/ daß
fast in allen Menschen eine grosse Begierde vnd Zuneigung sey zu
sündigen / nicht zwar wegen derselben Sünde / Sondern darumb/
daß sich die Menschen selber durch ihre eigene Sünde vnd Bosheit
corrumpiret vnd verderbet: Welche corruption sie denn hernach
auff ihre Kinder durch die Krafft des samens geerbet haben: Ex qui-
bus ita concludimus: Quicumq; propria malitia semetipsum cor-
rupit,*

rupit, is corruptionem virtute seminis in posteros transmittit. At-
qui Adam propriâ malitiâ semetipsum corrupit. E. etiam corru-
ptionem virtute seminis in posteros transmissit. Major est Osto-
rodi. Minor probatur, quia transgressio mandati divini gravis-
sima & virium sanctitas & integritas in uno subjecto stare non
possunt, sunt enim contradictoria. Deinde idem C. 33. p. 280.
ait, Keiner kan einer andern cõdition vnd Grades seyn/ denn sein
Vater ist: ex quibus verbis hoc modo concludimus: *Qualis ex
conditione nature sue Adam fuit, quando liberos genuit, tales et-
iam ipsius sunt liberi, quos genuit: Atqui Adam ex conditione na-
ture sue fuit peccator, quando liberos genuit. E. etiam genuit ta-
les liberos scilicet peccatores.* Et licet quis excipiat, Ostorodum
hic agere de necessitate moriendi, quam velit esse ab Adamo in
posteros propagatam: nihil tamen proficitur: si enim pœna
est propagata, utiq; etiam culpa, aliâs labasceret Dei justitia, ut
qui liberos puniret ob peccatum alienum & non proprium. Si-
cut ergo omnes posteri Adami necessitati moriendi tanquam
pœnæ sunt obnoxii, quia nim. ex tali parente sunt procreati;
ita etiam ipsi peccato sunt conspurcati, quia ex eodem parente
peccatis inquinato procreati sunt & geniti.

Quæstio sexta.

*An Christus secundum humanam naturam in u-
nione personali religiose cultu sit adorandus.*

Nos affirmamus ita inferentes: *A quocung; petitur bene-
ficiū verè divinum, ille etiam religiosè adoratur: A Christo hic
petitur beneficiū verè divinum. E. & Christus religiosè fuit ado-
ratus.* Aut g. fuit religiosè adoratus secundum divinam tan-
tùm naturam, aut humanam tantùm, aut utramque; Non il-
lud, quia non opus fuisset exteriori illa humiliatione & incur-
vatione, cum interiores cordis affectus Christus secundum eam
sibi habuerit exploratos. Neque istud, beneficiū enim solius
omnipotentiae divinæ proprium ab eo petebat, ut quæstione
primâ ostensum. E. secundum utramque naturam. Huc perti-
nent exempla aliorum, quibus Evangelica historia est referta,
qui

qui Christum adoraverunt, ubi non potest civilis tantum & eterna humiliatio intelligi, sed verè religiosa adoratio. Maxime autem illustre est exemplum Stephani, qui videt Jesum stantem à dextris Dei Act. 7. v. 59. & dicit: *Domine Jesu suscipe spiritum meum: secundum quam naturam Stephanus Christum à dextris Dei sedentem vidit, secundum eam etiam religiosè invocavit. At secundum humanam naturam Christum à dextris Dei stantem vidit.* E. Si g. religiosa adoratio Christo secundum utramque naturam fuit exhibita à supplicantibus, tunc ei secundum utramque; aut competiit, aut non. Si hoc, cur Christus eam non repudiavit vel verbo vel gestu, vel corde animove, hoc n. vel semel tantum factum esse historia tacet Evangelica. Si autem non tantum eam admisit, sed etiam approbavit & beneficiis collatis acceptavit, sequitur, eam illi reverà competiisse & præcepto divino non fecisse contrariam.

II. *Qui honor ab Angelis Christo secundum humanam naturam exhibetur, ille multò magis ab hominibus ipsi debet exhiberi. At religiose adorationis honor ab Angelis Christo exhibetur. E. multò magis ab hominibus, qui inferioris & ignobilioris sunt naturæ, quam Angeli.* Major per se patet, Minor probatur ex Hebr. 1. ubi Apostolus Christum confert cum Angelis, omnium creaturarum Dei nobilissimis, & ostendit, eminentiam Christi esse majorem exinde, quia præstantius nomen præ illis est sortitus [quid verò per illud nomen intelligatur, patet ex Eph. 1. v. 21. 22.] & hinc v. 6. concludit, illum esse adorandum. Sed secundum divinam naturam non potest hoc nomen ipsi tribui, ut quaestione quartà probatum. E. secundum humanam. Rectè g. Athanasius orat. 5. cont. Arian. *quò fieri posset, ut corpus Domini undique sanctissimum à Spiritu S. formatum amiculumque verbi Dei, non sit adorabile?* & Chrysostr. *Deus Christum secundum carnem jussit à cunctis Angelis adorari;* & Theoph. in c. 28. Matth. *humana natura unita verbo personaliter in cælo sedet & ab Angelis adoratur.*

Calviniani hinc in duas abeunt partes, nonnulli enim expressè & disertè negant, uti Lamb. Danaus in exam. Chemn. p. 416. 418. & p. 291. Beza in colloq. Mump. p. 262. Sadeel de verit. hum.

hum. nat. p. 142. Pareus verò verbis affirmat, sed ambiguis, quæ
tamen tandem etiam in negativam desinunt, uti in meth. con-
trov. ubiq. p. 30. *una non respectu & gradu, sed numero λαρεία α-*
adoramus Christum secundum utramq; naturam; & in Iren. p. 144.
Omnes [Calviniani] ut unâ fide in totum Christum, Deum & ho-
minem credimus, ita una adoratione totum adoramus, quantum-
vis ut fide, sic adoratione naturas in Christo secundum Scripturas
discernamus, sicut enim credimus, sic invocamus. Resp. priori-
bus respondemus: si carnem & humanam nat. Christi consi-
deramus ex se & naturæ suæ conditione, nequaquam dicimus
eam esse adorandam: sin v. in unione hypostatica cum λόγῳ, di-
cimur eam non posse nec debere excludi: sic etiam in carnem
Christi fiduciam nostram non locamus, pro ut abstractivè
extra unionem personalem consideratur in sua naturali condi-
tione: quin imò libenter concedimus, carnem Christi non esse
natura Deum, nec essentialiter, nec ex se, nec per se adorandam,
sed in unione personali τῷ λόγῳ, cujus realiter facta est parti-
iceps: ideoque quando ὁ λόγῳ adoratur, non potest humana
natura ullo modo separari, nisi quis cum Nestorio unionem
in adoratione solvere; vel cum Pareo cogitationes ab humani-
tate Christi in religiosâ adoratione fide discernere, & secundum
Danæum ad solam divinitatem unicum religiosæ adorationis
objectum dirigere, cum Beza part. 1. respons. ad acta colloq.
Momp. p. 176. duplicem adorationem in unâ actione adoratio-
nis statuere velit; quæ omnia sunt Nestoriana, Scripturæ & pu-
riori Antiquitati contraria, & in Concilio Constantinop. V.
hoc canone damnata: *Si quis non unâ adoratione Deum, Verbum*
incarnatum cum ejus carne adorat, anathema sit. Pareus quidem
ait, se credere in totum Christum, Deum & hominem; sed in-
telligit tantum divinam naturam λόγῳ, synecdochicè; atq; ita
Pareo pars est totum, & totum pars. Vult enim in adoratione
ita discretas esse naturas, ut Deitas sola sit objectum religiosæ a-
dorationis. Si g. humanitas est excludenda ab adoratione re-
ligiosa, quomodo Pareus in totum Christum credet? Aut g. pror-
sus humanitatem Christi non adorat, aut si in eam credit &
adorat, peculiare fidei & adorationis objectum cum Nestorio
efficit,

efficit, duplicem fidem, adorationem, verbum fingens. Sed & notentur contradictiones Parei, ait enim 1. se in totum Christum credere & eum invocare, negat tamen humanitatem esse adorandam: fingitur g. homo sine essentialibus hominis partibus. 2. nullam præter unius Dei naturam esse adorandam, & tamen non in solam Deitatem esse credendum, neque solam adorandam. 3. humanitatem non esse adorandam & non solam Deitatem esse adorandam: detur g. in persona Christi tertium. 4. in totum Christum, Deum & hominem esse credendum eundemque totum adorandum, & tamen naturas quo ad fidem & adorationem esse discernendas. 5. Unâ fide in totum Christum esse credendum & unâ adoratione totum adorandum; & tamen naturas ut fide, ita & adoratione discernendas. Conciliantur hæc! Quod si similitudines ipsorum excutere vellemus, ilias quædam absurdorum absurdissimorum certò deprehenderetur, videatur hæc de re tota Dn. D. Sigwardus in admonitione Christiana de Irenico Parei p. 649. & seqq. & patebit eorum impietas, contrarietas & blasphemia.

Quæstio septima.

2
An auricularis Pontificiorum confessio ex Matth. 8. v. 4. probari possit?

Sic innuit Staplet. in prompt. cathol. super h. l. hinc etiam Bellarminus lib. 3. de pœnitentia c. 3. hunc typum de cognitione lepræ ex Lev. 13. vers. 14. allegat, & dicit esse à Christo h. l. approbatam & in N. T. confirmatam auricularem confessionem.

Résp. I. in genere Confessio ista Pontificiorum non est in sacris literis à Deo præcepta; 2. nec evidentibus Scripturæ dictis & exemplis potest probari, fatente Nicolao de Orbellis 4. sent. dinct. 17. Sed secundum Panormitan. in c. omnis utriusque sexus, per hominum traditionem ordinata. 3. nec in V. nec sub N. T. initium usitata; sed traxit originem ex exomologesi publica per ultroneam hominum pietatem, ut peccatorum occultorum esset etiam exomologesis occulta Erasm. in annot. super cap. 19. Act.

Act. 4. neque necessaria vel propter necessitatem remissionis
peccatorum, aliàs sine illa nemo posset eam consequi, exempla
tamen in contrarium sunt multa Matth. 9. v. 2. Luc. 7. v. 48. vel
propter necessitatē præcepti divini, quia de eâ nullum extat, uti
fusè Biel tradit 4. sent. distinct. 17. q. 1. 5. neque habet promissio-
nem divinitus factam. 6. est simpliciter impossibilis. 7. multis
laborat incommodis; quæ omnia Dominus Præses latè dedu-
xit in loc. de poenit. §. 102. & seqq. II. Inspecie ad locum hunc
ex Evangelio productum 1. Theologia symbolica non est ar-
gumentativa. 2. quod Sacerdotibus liceat cognoscere de pec-
catis, conceditur, sed quod singula peccata unâ cum omnibus
circumstantiis illis enumeranda sint, quomodo ex hoc sequa-
tur, perspicuum non est. 3. Leviticum V. T. Sacerdotium non
fuit typus & umbra ministrorum N. T. sed potius ipsius Christi,
sic enim nos Epistola ad Hebræos erudit. 4. Si typus antitypo
ex Bellarmini mente respondere deberet, sequeretur, quod et-
iam Sacerdotes V. T. leprosos mundârent, id quod falsum est; si-
quidem tantum pronuntiârunt mundos. At ministri in N. T. à
Christo potestatem acceperunt non tantum pronuntiandi li-
beros à peccatis, sed etiam ipsa peccata remittendi [ministra-
liter] secundum Christi institutionem Matth. 18. v. 18. Joh. 20. v. 23.
5. Christus jam sanatum remittit ad Sacerdotem: Pontificii au-
tem ante absolutionem requirunt confessionem. 6. Cur Christus
à leprâ mundatum ad Sacerdotem remisit, ipsemet subdit, sc.
ut sese illi ostenderet & offerret à Mose mandatum munus.
Committitur g. à Pontificiis fallacia causæ. 7. Ex Stapletoni
mente sic possumus inferre: sicut Sacerdotibus V. T. licuit de
solâ leprâ & non de aliis morbis cognoscere: ita etiam ministris
in N. T. licet de solis peccatis dispicere & videre, quomodo il-
la curentur & sanentur, seque rebus politicis non immiscere.
Quid verò agerent Pontifices, Episcopi, Cardinales, & reliqui,
certè nimis citò illa illis rumpent, si illis sese ingerere non li-
ceret. 8. Quemadmodum Sacerdotes nullum dicebant esse
leprosum, nisi qui reverâ leprâ esset infectus, neque mundum
in quo vestigia & reliquiæ quædam hærebant: ita decebat Pon-
tificios peccata non fingere vel excogitare iis, qui nulla habent.



vel quæ peccati nomen non merentur; neque etiam puros & sanctos proclamare, qui ulceribus & sceleribus scatent. Sed auri sacra fames apud illos. 9. Quemadmodum omnibus Sacerdotibus licebat de lepra cognoscere, & judicare vel de immunditie vel sanatione: ita etiam cuilibet pio in N. T. concessum est, proximum in angustiis peccatorum hærentem, solari verbo & promissionibus divinis, omnes enim sunt spirituales Sacerdotes I. Pet. 2. v. 59. Apoc. 1. v. 6. cap. 5. v. 10.

Miraculosa servi paralytici sanatio.

36. Hæc describitur tantum à Matthæo & Luca, & quidem ita, ut dubitandi ansam nonnulli arripuerint, an uterque eundem notet servum restitutum.

37. Negant Molinæus & cum eo Flacius in Luc. 7. Beza in annot. Piscat. in schol. Osiand. in harmon. Affirmant Chrysost. & post eum Euthymius & Theophyl. epitomatistæ ejus, omnes scholastici Theologi, Martinus Bucerus, aliique: Quorum sententiam & nos sequimur, quia Lucas & Matthæus conveniunt 1. in appellatione supplicantis, quod fuerit ^{ἐκ τῆς πόλεως} 2. in habitationis designatione, quæ Capernaum. 3. in fidei magnitudine, quæ tanta, ut Christus fuerit eam admiratus. 4. in beneficii impetratione 5. in fidei prædicatione à Christo facta, quam penè isdem uterque refert Evangelista.

38. *Antecedentia* autem miraculi sunt. *Christi in urbem Capernaum ingressus*, cujus descriptionem vide apud Christianum Andrichomiū in theatro terræ sanctæ 2. *supplicantis accessus*. Hic Matthæus scribit, Centurionem ipsum accessisse Christū; Lucas autem illum misisse primò seniores Judæorum, deinde amicos. August. lib. 2. de consens. Evan. c. 2. tom. 4. ita conciliat, Matthæum studuisse brevitati & præcipua hujus historiae capita assignasse, Lucam verò plenius & omnibus adhibitis circumstantiis descripsisse, quomodo hoc egerit & c. nimper Legatos; referri autem ad ipsum, quia quod quis per amicum agat, per seipsum agere videatur, similia exempla sunt Matth. 11. v. 2. Luc. 7. v. 19. Matth. 26. vers. 18. Marc. 14. vers. 14. Luc. 22. v. 11. Theophyl. & Gerson putant, Centurionem primò misisse

mississe presbyteros, ceu seniores Judæorum, deinde amicos, demum ipsum subsecutum, dicendo id, quod Matthæus de eo refert. Notanda autem in supplicante 1. persona. 2. ipsa intercessio.

39. Quoad personam, dicitur, *Centurio*, quo notatur vitæ genus, scilicet militare: nomen habuit à centum militibus, quorum fuit Dux & Præfectus. Secundum Zepperum & Salmeronem à Rom. Imperatore ibi relictus fuit, ut imperii fines contra Parthorum incursiones tueretur, & Judæos, ad seditio- nem proclives, in officio contineret. Alii putant, ab Herode, eum ibi fuisse constitutum. Hilarius putat eum fuisse Judæum, norante Barradio; Flacius profelytam, aut Judaicæ religioni propalam faventem; Augustinus & Lyra statuunt, fuisse ethnî- cum, id quod probabilius.

40. *Intercessio* habetur vers. 6. in qua occurrunt quatuor. 1. *Compellatio*, nomine *κέρει*, quo suam fidem in illum exprimit. An fidem suam conceperit ex famâ de Christo & ejus miraculis; an verò miraculis & concionibus simul ipse interfuerit, non expressè habetur; prius autem asserere videtur Lucas verbis; Cum audisset de Jesu & c. consentit Chysostr. hom. 27. tom. 2. super Matth. hunc sequitur Salmer. tom. 6. tr. 22. haud dubiè enim regulus filii sui sanationem longè lateq; disseminavit.

41. 2. *Subjeçti nominatio*, quod Matthæus vocat *παῖδα*, Lucas *δούλον*, cui corporis sui custodiam crediderit, *εἰς βῦνγε*.

42. 3. *Morbi definitio*, qui est *παραλυσις*, de qua vide Galen. lib. 3. de loc. affect. nonnulli putant, fuisse *ἡμιπληγίαν*, sed cum hæc simul auferat motum & sensum in illis membris, quæ infestat; ægrotus verò hic dicatur acerbissimos dolores non tantum in principio, sed etiam tunc, cum Centurio pro ipso intercederet sentire, ita sicut in extremis hæreat, ideo paralyfin proprie dictam hîc fuisse colligimus;

43. Exaggeratur autem hic morbus duobus vocabulis. 1. *βέληται* scilicet omnibus mēbris resolutus & viribus exhaustus, totoque corpore prostratus. 2. *Βασανίζομεν*, significat proprie ejusmodi dolores, qui oriuntur ex gravissimis tormentis, quæ in suppliciis & quæstionibus reorum adhibentur; hinc etiam in

iam in sacris passim accipitur de cruciatibus infernalibus dis-
cruciatur ^{δενώσ}, ita ut secundum Lucam voluerit ^{ταλευτάς}

44. 4. *Loci denotatio*, ^{ἐν τῇ ἀικίᾳ} scilicet meā, non enim
in Xenodochium vel sterquilinum ipsum exturbārat.

45. Succedunt *media seu conjuncta*, quæ sunt *Christi re-
sponsio*, *Centurionis exceptio*; *Christi admiratio*, *Fidei centurionis
predicatio* & *de futuris vaticinatio*.

46. Responsione sua v. 7. Christus declarat i. *suam prom-
titudinē juvandi*: ^{ὁρᾶται ὑβέρ} est propriè ita curare sicut Medici, ad-
hibitā scilicet medicinā extrinsecus; sed hīc ponitur <sup>καταχρησ-
τικῶς</sup> pro ^{ἰάσω}. Piscat. in schol. 2. *modum*, quomodo velit eum sa-
nare, nim. se præsentem: de hoc ait author imperf. operis hom.
22. cum non peteretur Christus ut iret, promisit se ire, & rursus
regulo postulanti pro filio, non dixit ego veniam, sed vade filius
tuus vivit, hīc non rogatus promisit ire, ut non videatur humi-
litem servi contemnere. Videtur tamen ex Luca Christus
fuisse rogatus per Seniores; Tostatus autem ex Matthæo colli-
git, Judæos plus rogasse, quàm in mandatis habuerint; cum Cen-
turio omnem ^{πανότιον} à se removeat, Seniores autem eandem
ip̄i tribuant.

47. Centurio vers. 8. & 9. excipit & duo argumenta dis-
suasoria adducit i. *à sua indignitate*, quæ tanta, ut non opus sit
rectum [Synecdoche integri] suum vel ut subeat, vel mole-
stiam ipsemet sibi creet. *Lyranus* putat, eum habuisse domi
simulacra, & ideo noluisse ex humilitate Christum accedere;
sed refutatur ab *Abulense* & *Salmer. h. l.* quia non sit verisimile,
eum, in quo tanta *reperta est fides*, domi habuisse simulacra.
Sed licet tunc, quando credidit, non fuerit simulacrorum cul-
tor, illum tamen idola statim abjecisse, probabile non est. Tosta-
ti objectio nulla est, quando dicit: verisimile non esse, talem
virum, qui haberet idola, Christū voluisse esse primitias gentiū:
nam omninò verisimile hoc est, ut Christus eò fortius redar-
guere posset incredulitatem Judæorum. Sufficit in tanta incer-
titudine opinionum nobis, illum *indignitatem suam agnovisse*,
hinc rectè *August. de verbis Domini dicendo se indignum*,
præstitit se dignum, non in *cujus parietes*, sed in *cujus cor*
Christus

Christus intraret: nec enim hoc diceret cum tantâ fide & humilitate, nisi illum, quem timebat intrare in domum suam, corde gestaret; nam non erat magna felicitas, si Jesus intraret in parietes ejus & non esset in pectore ejus.

48. 2. *Anon necessario, ἀλλά μόνον εἶπε λόγον καὶ ἰαθῆσεται ὁ πάσις μὲν:* Lucas habet εἰσελογῶ phrasi. hebraica, pro impera: sic Joh. 2.v. 5. Matth. 23. v. 3. Verbum λέγειν pro imperare usurpatur. Inest autem his verbis amplificatio à minori ad majus, si unum dicas verbum, sanabitur famulus meus, multò magis si plura, vel si curam adhibeas laboriosam.

49. Subjicit rationem vers. 9. καὶ γὰρ ἐγώ: ubi cum προδῶσι non sit subnexa ἐπίτασις, centurio potest dici argumentatus vel à simili, uti vult author imperfect. op. hom. 22. in Matth. sicut ego sum sub potestate alius nim. Chiliarchæ seu Tribuni, qui sub Præsidis, hic sub Imperatoris potestate ἰαλάσσομε. 105. & nihilominus imperata faciunt milites; sic & tibi, licet sis sub potestate Dei, omnia parebunt. Vel à minori ad majus secundum Aug. serm. 6. de verb. Dom. tom. 10. quod voluerit indicare, se 1. nudum hominem, Christum autem simul Deum. 2. se sub potestate aliena, illum sub nullius esse; cum autem sibi homini à militibus pareatur, multò magis ipsi Christo omnes creaturas obedientiam præstituras: quam sententiam stabiliunt verba καὶ γὰρ ἐγώ, quæ rationem inæqualitatis personæ suæ cum Christo innuunt. Hieron. piè hinc colligit, Centuriorem Christi majestatem intellexisse & intra corporis tegmen latentem cognovisse divinitatem.

50. Tantâ fidei πληροφορίᾳ in Centurione cognita Jesus dicitur admiratus fuisse: sed quomodo? cum admiratio contingat ex incogniti & insoliti inspectione, Christus autem ipse fidem istam accenderit? Nonnulli accipiunt θαυμάζειν pro δοξάζειν, valde probare & laudare, notante Flacio in Clave; & L. X. X. sæpius ex Hebræo ita reddiderunt Deut. 10. v. 17. c. 28. v. 50. 2. Reg. 5. v. 1. sicut & Philosophus 1. Met. c. 3. ait: διὰ τὸ θαυμάζειν οἱ ἄνθρωποι καὶ νῦν καὶ τὸ πρῶτον ἤξεοντο φιλοσοφεῖν.

51. Maldonatus & August. l. i. de Gen. contra Manich. c. 8. volunt, Christum se habuisse ad modum admirantis & externa

E terna



terna quædam edidisse signa, tanquam ipse vehementer admiraretur; admirationem autem in animis videntium & audientium voluisse movere. Nos putamus, sine incommodo dici posse secundum literam, quod Christus verè fuerit admiratus; nim. quo ad cognitionem experimentalem, quam ut homo in statu exinanitionis non habebat, nisi cum res aliqua ipsi secundum humanam Naturam offerretur ipso actu secundo, licet secundum divinitatem, atqui etiam animam ratione unionis personalis omnia ei præsentia fuerint & cognita: sic sciebat quidem hanc fidem, non tamen per ejusmodi signa & circumstantias externas actu secundo ipsam viderat & cognoverat.

52. Commendat autem fidem Centurionis ad turbas Luc. 7. v. 9. 1. à certissimâ asseveratione vers. 10. ἀμὲν quæ est particula affirmandi Luc. 21. v. 32. Marc. 12. v. 43. 2. à comparatione imparium; scilicet Israël, ubi est metonymia efficientis pro populo Israëlítico, cui longè præfert Centurionis fidem, cum tamen illi concredita fuerint τὰ λόγια τοῦ θεοῦ Rom. 3. v. 2. Quomodo autem fides hujus gentilis fuerit major Israëlitarum, Salmer. h. I. quinque sensus recenset, ex quibus commodissimus ille, quod Christus intelligat tempus illud, quo prædicationis suæ initium fecerat, quo ipso nihil derogat fidei Patriarcharum, Prophetarum, Johan. Baptistæ.

53. Christus occasione hujus fidei per digressionem vaticinatur 1. de vocatione gentilium. 2. rejectione Judæorum.

54. In vocatione gentium notandus I. terminus à quo, qui est oriens & occidens; quibus verbis inest 1. metonymia adjuncti, plagæ enim istæ intelliguntur. 2. Synecdoche speciei pro genere, omnes enim quatuor mundi plagæ notantur, uti alias Christus omnes quatuor recenset Luc. 13. v. 29. qua de vocatione multa Prophetarum extant vaticinia, quæ respicere Christus videtur, præsertim autem Esa. 43. vers. 5. & seqq. Mal. 1. vers. 11. & seqq.

55. II. Terminus ad quem est regnum cælorum, ut ibi discumbant cum Abrahamo, Isaac & Jacobo hæc verba accipiuntur vel de regno gratiæ in his terris; vel gloriæ, ubi perfecta succedet intuitio & fruitio donorum & bonorum æternorum Psal. 17. v. ult. Psal. 16. v. ult. Comparatur autem gloria vitæ

vita æternæ conviviis humanis, quia in iis homines præcipuè
hilaritati dant operam, maximè verò in nuptialibus Piscat.
in schol.

56. Sed *πρωτοκλισία* tribuuntur Abrahamo &c. quia 1.
his primùm leguntur factæ promissiones regni cœlorum sub
typo terræ Canaan. 2. Judæi gloriabantur de suâ ex ipsis ori-
gine Joh. 8. v. 33. 39. quam *κενοδοξία* Christus ut confundat, ait;
gentes illis ejectis cum Abrahamo &c. discubituras, h.e. eodem
cum illis gaudio hîc in spe, illic autem in re perfruituras.

57. Judæorum rejectio describitur à pœnis, quæ ipsis
exantlandæ; dicuntur autem hîc filii regni, quia eorum erat
*ἡδονία καὶ ἡ δόξα καὶ αἱ διαθήκαι, καὶ ἡ ναμοθεσία καὶ ἡ λατρεία, καὶ αἱ ἐπαγ-
γελίαι* Rom. 9. v. 4. hinc etiam oportebat illis primùm loqui ser-
monem Dei; quia verò repulerunt eum & seipsos vitâ æternâ
judicârunt indignos, meritò per incredulitatem ejecti sunt in
tenebras exteriores.

58. Cajetanus putat exteriores dici pro externis ad di-
stinctionem interiorum & spiritualium. August. Exposit. Psal.
6. exterâs tenebras accipit de sensu reprobò & cœcitate mentis
in hac vita, exteriores autem de summa cœcitate, quæ futura
est in damnatis. Alii dicunt, non tantùm intelligi abdicatio-
nem Judæorum, excœcationem, inscitiam & omnigenam im-
pietatem, quæ Eph. 5. & alibi dicuntur opera tenebrarum, tem-
porales calamitates & anxiam conscientiam in hac vita verùm
etiam crudelissima supplicia in infernali carcere ipsis sustinen-
da, quæ per modum fletus & stridoris dentiû hic exprimuntur, eò
quod hæ pœnæ sint gravissimæ & exquisitissimæ futuræ, sicut
in hac vita per ejusmodi tristes effectus maximis cruciatibus
homines torqueri, sensu oculorum colligimus: De quibus
cruciatibus loquitur Bernhardus: *ibi clamabit pilosus alter ad
alterum, id est, daemon dicet damoni: percutite, lacera, interfice in-
ter prunas, & ebullientibus impone lebetibus: ô quàm nobis esset
salutare, si hos lebetes semper ante animos haberemus!*

59. His ita finitis, Christus ait Centurioni vers. 13. Abi
& quemadmodum credis, fiat tibi: quibus continetur 1. man-
datum. 2. promissio de servi sanitate: quæ ascribitur ejus fidei,
E 2 non

non quasi ex sua dignitate, quantitate & viribus illam promeritus fuerit Centurio; sed quia illa bonitatem & omnipotentiam Christi apprehenderit, πληροφορηθείς, Christum etiam sibi auxiliatrices porrecturum manus.

60. Et sequitur: καὶ ἰάθη ὁ παῖς αὐτῶν ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ, id est, momento, quo Christus hoc verbum ore proferret; tanta est ^{deuotio} & omnipotentia verborum Christi, ut in absentem agere & in eo effectum suam sortiri queant. Erasmus in annot. testatur, se in antiquis Codd. græcis reperisse hanc in fine hujus historiae additam clausulam: καὶ ὑποσρέψας ὁ ἐκαστοπαρχὸς εἰς τὴν δίκην αὐτῶν, ἐν αὐτῇ τῇ ὥρᾳ εἶρε τὸν παῖδα αὐτῶν ὑγιαίνοντα. idem & refert & confirmat Flacius in schol. ad c. 7. Lucae.

61. Verè g. dicere possumus cum discipulis Christi Luc. 24. v. 19. Christum fuisse ἀροφήτην δυνατὸν ἐν ἔργῳ καὶ ἐν λόγῳ ἐναντὶ τῶ θεῶ καὶ παντὸς λαῶ.

Quæstiones circa miraculum posterius?

Prima quæstio.

An Sanctorum invocatio ex legatione Centurionis ad Christum possit probari?

Salmer. tr. 23. tom. 6. p. 150. affirmat; atque cum à nostratibus negetur in totum, exinde concludere vult, nostram fidem non esse veram fidem.

Resp. sciendum *in genere*. 1. statum controversiæ inter nos & illos esse de sanctis illis, qui ex hac migrarunt vita & in cœlestem concesserunt patriam. 2. quæstionem esse non de honore aliquo illis exhibendo, quem requirit epist. ad Hebr. 13. v. 7. sic enim invocare differt ab honorare tanquam species à genere; sed de religiosâ invocatione eorum, an scilicet invocandi sint, ita ut in calamitatibus nobis opitulentur vel auxilium suâ intercessione apud Deum nobis promereantur. Hic nos in negantem concedimus sententiam, quia ejusmodi invocatio. 1. in sacris non est mandata, ideoque etiam caret promissione exauditionis, exemplis piorum, in V. & N. T. 2. detrahit invocationi Dei, cultum enim Deo proprium tribuit creaturis. 3. detrahit.

trahit officio Christi mediatoris, qui solus est mediator Dei &
 hominum 1. Tim. 2. v. 1. ideoque in solius ipsius nomine invo-
 candum. *Inspecie* autem ad hunc locum Salmeronis; esse ex-
 emplum dispar, nam sub iudice adhuc lis est, an hi, quorum
 intercessione usus est Centurio, fuerint sancti, nec ne; si enim
 tales, cur non Christum pro Messia agnoverunt & in eum cre-
 diderunt: hinc Salmer. l. d. ipse dicit, Centurionem Christo
 fuisse propinquorem fide, quam Seniores. 2. Ponatur illos san-
 ctos fuisse, exemplum tamen id, statum controversiæ non fe-
 rit, agit enim de vivis, sed quæritur de demortuis. 3. nec etiam
 religiosè illos invocavit, sed saltem petiit ab illis, ut pro servo
 intercederent. 4. petiit autem saltem ut bonum corporale à
 Christo impetrarent. 5. Christus ipse litem dirimit; non
 enim intercessioni Seniorum, sed fidei Centurionis sanita-
 tis impetrationem ascribit. Salmeron varias probatio-
 nes pro affirmativa adducit. & 1. dicit, *eos magno intervallo san-
 ctitatis & gratiæ apud Deum à viatoribus distare.* Resp. negatur
 consequentia: aliàs sequeretur etiam sanctos Angelos esse invo-
 candos, ut qui si non majori, tamen pari intervallo gratiæ &
 sanctitatis à viatoribus distant, id quod tamen ipsi renuunt.
 Apoc. 19. & 22. 2. *Ecclesiam ab initio sui eos tanquam Dei amicos
 & Divos nostros tutelares religiosè venerari & cum magnâ reve-
 rentia invocare.* Resp. 1. non Ecclesia, sed verbum Dei in scri-
 ptis Proph. & Apostolorum comprehensum, est nostræ fidei &
 religionis norma. 2. si per Ecclesiam intelligit Romanam,
 sub suis Pontificibus Anti Christis, concedimus hoc, illius au-
 tem exemplum esse immitandum negamus: si verò Aposto-
 licam & primitivam, disertè negamus, invocationem religio-
 sam vel mediam inter divinam illi fuisse cognitam. 3. *Non esse
 diffidentia de bonitate & misericordia Dei invocare Sanctos.* Resp.
 1. Ergo erit fiducia; si autem hoc, cur Deus in verbo suo eam
 non præcepit? 2. g. Deum per Sanctos non invocare erit diffi-
 dentia; & sic qui in V. T. sine Sanctis Deum invocârunt, sine fi-
 duciâ invocârunt; quia secundum nonnullos Pontificios San-
 ctorum invocatio in V. T. non fuit usitata vel mandata, cum
 Patres adhuc fuerint in limbo, neque etiam sub initium N. T.
 ne gentes conversæ putarent, se iterum ad cultum terrigenarum
 inducîs

induci; nec ab Evangelistis & Apostolis eius mentio fiat sub
 ratione præcepti, ne arrogantia suspicionem incurrerent, ac si
 post mortem ipsi ejusmodi gloriam sibi deposcerent. 4. *San-*
ctos non esse interstitium aliquod opacum, qui tegant nobis Chri-
stum, sed tanquam crystallum lucidum & transparens. &c. Resp. id
 est injurium in Christi majestatem & bonitatem quasi, in sese,
 non sit tam misericors, benignus & benevolus, ut citra Sancto-
 rum vel intercessionem vel merita se invocantes exaudiat: se-
 quitur enim sine Sanctis intercedentibus Christum fuisse ob-
 scurum & nebulosum. 5. *Licet pii credant, se esse indignos, ut à*
Deo aliquid petant, non tamen sequitur g. per Sanctos debent
petere & sic digni evadent, cum Christi solius meritum sufficiat.
 6. quomodo *afflictus ad Sanctos defunctos possit prius confugere,*
 quam ad Deum, non probavit Salmerò, contrarium autem pa-
 tet, quia Deus est infinitus & omni præsens, Sancti verò non ta-
 les; Ad quemcunq; g. prius animo & fide venire possunt pii, ab
 eod. etiam prius sine Sanctis auxilium impetrare queunt; ratio
 est, quia fide ea, quæ à Deo petimus, impetramus exemplo hujus
 Centurionis: Ast pii ad Deum prius fide & animo venire possunt,
 fatente Salmer. h. l. E. & c. 7. exempla *Abrahami pro Abimelecho &*
Jobi pro amicis orantium sunt ἀπερδιόνουα. 8. Quod Deus hanc
 gratiam orandi & impetrandi pro aliis [Sanctis] concesserit, de
 eo adhuc quæritur; & *gloria Sanctorum in caelo nihil quicquã dece-*
dit, siquidem eorum neq; beatitas, neq; gloria in caelis pendet
ab hominum cultu & veneratione in terris. 9. *rationem natura-*
lem & conscientiam propriam docuisse Centurionem, ut accurreret
cum timore ad eos, qui amici Dei sunt & gratia apud illum valent.
 Resp. contrarium patet innavigantibus Jonæ 1. ubi quisq; suum
 Deum immediatè & non per amicos invocat. 2. dubitatur adhuc,
 an hi Seniores & amici Centurionis, amici Dei fuerint? 10.
 Non ob stare, *quod unus sit mediator, quia etiam dicatur, quod u-*
num sit ovile & unus Pastor. Resp. Elenchus parium: Scriptu-
 ra unius mediatoris meminit, cui definitio propriè competit;
 Pastorum autem meminit plurium; quibus à Christo cura Pa-
 storalis est commissa: Pro bent autem Pontificii ex Scripturis,
 opus mediationis à Christo etiam Sanctis esse concessum, id
 quod nunquam poterunt.

Quæstio

Quæstio secunda.

An Christus missus sit ad salvandum tantum Judæos?

Neg. ex textu ita: *Quemcumq; Christus commendat ob veram fidem & ob eam Judæis præfert, eidemq; secundum fidem facit, ad eum salvandum Christus quoq; venit. Atqui Centurionem gentilem Christus commendat ob fidem veram &c. E.*

Minor ex textu est manifesta. Major probatur, quia Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere. 1. Tim. 1. vers. 15. Sed non tantum Judæi, verum etiam gentes sunt peccatores Rom. 3. v. 23. hinc & non tantum ad illos, sed etiam has salvandas Christus venit, si nim. agant poenitentiam & credant Evangelio Marc. 1. v. 15. Non autem potest hinc inferri, omnes omnino homines sive credant, sive minus, salvandos esse: Etsi enim Christus mortuus sit pro omnibus 2. Cor. 5. v. 15. adeoq; pro omnibus sufficientissime satisfecerit, tamen à satisfactione Christi ad omnium hominum actualem salutem non valet illatio: nam secundum illud Christi Marc. 16. v. 16. *qui non crediderit, condemnabitur.* Ex his patet 1. falsum esse, Electos solum in Judæis esse, nam *qui credit in filium* [puta finaliter] *non judicatur* Joh. 3. v. 18. sed non tantum quidam ex Judæis crediderunt in filium, verum etiam ex gentibus & quidem usque ad finem. E. non tantum quidam ex Judæis, sed etiam quidam ex gentibus non judicantur, scilicet ad condemnationem, ubi autem condemnatio non est, ibi est salvatio ad vitam æternam; & sic executio decreti præsupponit ipsum decretum, nim. electionem ad vitam æternam. 2. falsum etiam, omnes homines sine discrimine ad vitam æternam esse electos: nam Joh. 1. v. 12. dicitur, *quotquot receperunt ipsum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomen ipsius.* E. quotquot non receperunt ipsum, non dedit illis potestatem filios Dei fieri, quia qui non credit, jam judicatus est ad condemnationem: g. non salvatur; g. non est electus, impossibile enim eum salvari & electum esse, qui non credit finaliter. Huberiani hisce speciosum hoc obvertunt argumentum.

Cujuscumq;

*Cujuscunq; causa omnes sunt universales, illud ipsum quoq;
est universale: Sed electionis causa omnes sunt universales. E. &
ipsa quoq; electio erit universalis. Resp. negatur minor, siquidem
fides praevisa est etiam causa electionis, & tamen non est o-
mnium: Dicimus autem fidem causam electionis non quidem
respectu actualis existentiae in homines sed ratione praevisionis
Dei. Quemadmodum autem se habet fides actu existens ad
justificationem, ita etiam fides praevisa se habet ad electionem.
Nec sic aliquid statuitur in nobis, quod habeat rationem causae
meritoriae vel justificationis vel electionis; siquidem fides est
causa electionis & justificationis, non ut aliquid ex nobis &
nostris viribus, sed ut aliquid in nobis tanquam gratuitum Dei
donum. Etsi g. Christus ad omnes salvandos in hunc mun-
dum venit, non tamen omnes sunt electi, quia non omnes ha-
bent fidem; atque illi qui fide sunt donati, non tantum sunt in-
ter Judaeos sed etiam inter gentes. Non g. Christus tantum
propter Judaeos salvandos venit, sed in genere ad omnes sal-
vandos, qui in nomen suum credunt. Joh. 3. v. 16.*

Quaestio tertia.

*An Deus quosdam homines ex absoluto decreto
abjiciat seu reprobet?*

*Negamus ex textu nostro ita: Quoscunq; Deus ejiciet in
tenebras exteriores eo quod noluerunt credere, illos non ex abso-
luto decreto, sed intuitu incredulitatis finalis rejicit: Atqui filios
regni, puta Judaeos, quosdam ejiciet in tenebras exteriores, eo quod
noluerunt credere. E.*

*Major est manifesta; nam absolutum Dei decretum cum
intuitu incredulitatis finalis stare non potest, sic enim non est
absolutum. Minor probatur ex vers. 11. & 12. ita: Quemadmo-
dum gentiles non sine intuitu fidei sunt electi & vitam aeter-
nam cum Abrah. Isaaco & Jacobo possidebunt, ita quidam Ju-
dæi [& sub eorum nomine omnes increduli] non sine intuitu,
incredulitatis reprobantur & in exteriores tenebras ejiciuntur.
Atqui gentiles credentes non sine intuitu fidei sunt electi &
vitam*

vitam æternam cum Abrahamo, Isaaco & Jacobo possidebunt.
E. &c. Major constat, quia oppositorum opposita est ratio:
at electio & reprobatio sunt opposita. Minor patet ex vers. 10.
& 11. verbis, *ne in Israel tantum fidei reperi. &c. & multi ve-*
nient &c. Christus enim hoc intendit, quoniam hic, qui gen-
tilis erat, credit, Judei verò non credunt, dico, quod multi genti-
les, quoniam credituri sunt, ejicientur in tenebras exteriores.

Calviniani verò omnes contrariam tueri volunt partem;
ut liquet ex Calvin. l. 3. instit. c. 22. sect. 11. Zanch. l. 5. de nat. Dei
c. 2. p. 738. Rennech. in aurea cat. sal. p. 37. Sed illorum senten-
tia pugnat

I. *Cum Scriptura: De quocung, dicit sacra Scriptura quod*
Deus velit, ut convertatur & vivat, illum Deus non vult perire ab-
soluto aliquo volūtatis suæ decreto. At de peccatore sacra Scriptura
dicit, quod Deus velit, ut convertatur & vivat, Esa. 18. v. 23. E. &c.
Major sic probatur: quia si vera est hæc Calvinianorum propo-
sitiō: Deus absoluto aliquo decreto sine intuitu incredulitatis
peccatorem vult perire, tunc falsa est ejus contradictoria, quæ
est S. Scripturæ, quæ hæc: *Deus non vult ullum perire 2. Pet. 3. v. 9.*
Utriusque tutius credendum? Scripturæ putamus.

II. *Facit Deum injustum: Quicung, enim aliquem da-*
mnat sine intuitu culpæ, quæ damnationem seu reprobationem me-
retur, tantum quia ita vult, is injustè damnat & reprobat. At qui
Deus ex mente Calvinianorum hoc facit. E. &c.

Major probatur; quia voluntas judicis si culpam non in-
venit in condemnando, justè non potest illum condemnare;
ubi enim culpa non est, ibi nec pœna justè esse potest. Dicunt
quidem 1. *Deo legem non esse positam & ejus voluntatem stare*
pro ratione. Resp. Verum quidem est, sed tamen ipse sibi
est lex & justitia, ita ut si contra illam faceret, sibi contrarius
esset. 2. *nos confundere reprobationem cum condemnatione:*
Resp. hæc duo quidem differunt, sed tantum ut decretum &
executio decreti; propter quam g. causam Deus reprobat ho-
minem in decreto, propter eandem etiam Deus eum damnat in
executione decreti; cū g. incredulitas finalis prævisa sit causa re-
proba-

probationis, illa existens actu sit causa condemnationis, & sic una est utriusq; causa.

III. *Facit Deum authorem peccati: nam quicumq; non potest non rejici aut damnari eò tantum, quod Deus absoluta sua voluntate velit eum rejici & damnari, is etiam eò tantum, quod Deus absoluta sua voluntate velit eum peccare, non potest non peccare finaliter.* Atqui quidam homines non possunt non rejici aut damnari eò tantum, quod Deus vult absoluta sua voluntate eos rejici aut damnari. E. quidam homines non possunt non peccare finaliter, eò tantum, quod Deus absoluta sua voluntate vult eos peccare. Major constat, quia ut voluntas Dei absoluta habet se ad rejectionem seu condemnationem hominis: ita quoque se habebit ad hominis peccatum: atqui ex sententia Calvinianorum; g. stat conclusio, quæ est absurda, cum contradicat ei, quæ est in Psal. 5. v. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es:* duæ verò contradictoriæ non possunt simul esse veræ.

Quæstio quarta.

An Lutherianorum fides sit vera fides?

Negat hoc imprimis Salmer. tr. 23. tom. 6. Super hoc Evangelium; rationes ejus sunt. 1. Quia careat signis & miraculis. 2. martyrii gloriâ. 3. obedientiâ ad Ecclesiam, principes seculares & Imp. 4. concordia doctrinæ. 5. non admittat nova consilia.

Resp. Hæ notæ non sunt essentielles & propriæ Ecclesiæ, sed tantum accidentales & communes, imò possunt abesse à vera Ecclesia, ideoque non sunt perpetuæ & infallibiles. Nam 1. Signa & miracula possunt patrare etiam ethnici, videatur Ludov. Vives in comment. lib. 10. de C. D. Aug. c. 16. heretici & Pseudoprophete Deut. 13. v. 1. Matth. 24. v. 24. Matth. 7. vers. 22. Exod. 8. Luc. 11. v. 19. Act. 8. v. 9. 2. miracula non sunt nota perpetua, competunt enim tantum temporibus primitivæ Ecclesiæ, uti ex Actis Apostolicis & historia Ecclesiastica patet; hinc Euseb. lib. 5. hist. Eccles. c. 7. teste non in omnibus sed in quibusdam

busdam locis etiam Irenæi tempore, Apostolis vicino, vige-
runt. Adhæc si miracula sunt necessaria, infallibilis & perpe-
tua fidei veræ nota, curne ipsi quidem Pontificii ea faciunt?
jactant quidem de multis, quæ in India & nescio quos apud Ga-
ramantas edant, [de quibus sit fides penes autorem] periculum
faciant, ubi cum nostræ fidei hominibus degunt.

II. *Martyrii gloria* scribit Ecclesiam primitivam ple-
nam fuisse; nullum autem eorum, qui capita novæ doctrinæ
haberi voluerint, se ulli periculo objecisse, aut pro fide, quam
prædicavit, occumbere voluisse. Resp. 1. Crux & marty-
rium non sunt essentialis, propria & perpetua Ecclesiæ nota,
sed tantum communis & accidentalis; numerantur autem in-
ter eas, quia crux est fermè perpetuus Ecclesiæ comes. 2. Falsum
est, Doctores nostros [quos pro capitibus novæ doctrinæ habe-
ri se voluisse criminatur] ob confessionem fidei suæ nulla pe-
ricula subiisse; falsum deinde, illos pro eâ occumbere noluisse:
Periculis inconsultò se objicere temeritatis est, cautè verò ea
declinare [modò sine vulnere conscientiæ fieri queat] non
tantum circumspectionis, sed & pietatis. Utrumque unius
Lutheri exemplum falsitatis arguit. Et qua conscientia mar-
tyrii gloriam nostris Ecclesiis deesse dici potest: loquuntur e-
nim & testantur tot millia martyrum, quos Pontificia tyran-
nis à tempore restitutæ serenitatis Evangelicæ & publicè per in-
quisitionem Hispanicam & privatim per omnis generis tor-
menta & supplicia è medio sustulit: quemadmodum libri
martyrologici pluribus comprobant, ita quidem ut non fuerit
parsum Nobilibus, Baronibus, Principibus.

III. *Obedientia ad Ecclesiam & magistratus seculares.*
Resp. in iis, quæ citra rationem cultus divini, meriti & con-
scientiæ obligationē ad *ἐκκλησίαν καὶ τὰς αἰχμαλωτίας* Ecclesiæ faciunt, sanè
aliquid Ecclesiæ tribuimus: in articulis autem fidei valet illud
Esa. 8. v. 20. 2. Pet. 1. v. 19. 2. si vel maximè ad Ecclesiæ obedien-
tiam obligaremur, non tamen sequeretur, quod ad Pontificiæ;
nam fallacia inest à dicto secund. quid ad d. f. & petitio princi-
pii. Similiter quod ad obedientiam magistratus secularis atti-
net, ibi magistratus aliquid imperat in rebus fidei; aut civilibus
& externis;



& externis; si illud, est vel conforme sacris literis, & sic omnino obedientia ei est præstanda; vel non, ubi dicimus præponderare illud Act. 5. vers. 29. Deo magis obediendum quam hominibus. Sin hoc, ejus mandata & jussa non floccipendimus, sed secundum Rom. 13. tributum, vectigal, honorem solvimus. Videantur hæc de te gravissime Lutheri cohortationes. tom. 4. Jen. Germ. f. 402. tom. 5. f. 67. &c. Quod si autem Jesuita secum habitaret, deprehenderet sub jugo Pontificio maximè labefactam fuisse magistratus politici autoritatem & obedientiam à Pontificum Rom. insolentiâ, fastu & superbiâ.

IV. *Concordia in doctrina*: hîc Jesuita loquitur de Lutheranis, Sacramentariis, Anabaptistis & Schwenckfeldianis, ac si unam constituent Ecclesiam & in summis fidei & ad essentiam religionis spectantibus articulis magna sit inter illos controversia: Posterius quidem concedimus, prius autem hoc syllogismo negamus: *Quæcumq; Ecclesia in summis fidei articulis inter sese dissident, ea simpliciter pro unâ censi nequeunt.* Atqui *Ecclesia Lutherana Calvin. Anabapt. & Schwenckfeld. in summis fidei articulis inter sese dissident, uti constat. E. &c.* Prostant autem nostrorum Doctorum scripta, ex quibus ille debebat probare, illos in summis fidei articulis à se invicem dissidere. Quàm bella autem sit harmonia Pontificiorum inter sese in summis fidei articulis copiosè & nervosè explicuit Dn. Præses tom. 5. p. 1118. & seqq.

V. *Non admittat nova consilia.* Quæ recenset quod sint r. Christi; 2. nota circa cœlibatum. 3. ciborum delectus & abstinentia 4. quadragesimæ ab Apostolicis viris commendatæ. Resp. 1. Christus jubet nos scrutari Scripturas Joh. 5. v. 39. quæ tam perfectæ, ut omnem indigentiam penitus exhauriant 2. Tim. 3. v. 15. 16. ut non opus habeamus novis consiliis, quæ sub nomine Christi falsò venditantur & simplicioribus obtruduntur. 2. vota illa cum interdum sint coacta, interdum impossibilia imò cultui divino derogent & *θελαθροικειαι* meræ, jure negligimus, sequentes illud Isidori; quod incautè vovisti, ne facias impia est promissio, quæ scelere impletur. 3. quod ad nefarias & impudicas nuptias convolare eos clamat, ille impudenter & nefarie

& nefariè mentitur, quin ejusmodi nuptias Papa, modò pecu-
nia numeretur, concedit, contra jura divina & humana sapissi-
mè dispensat, id quod testatur curiæ Romanæ praxis. 4. Quæ
incertitudo, & contrarietas sit traditionum, quæ nomine A-
postolorum & Apostolicorum virorum circumferuntur, alibi à
nostracibus fusè probatum est.

Quæstio quinta.

*An animæ impiorum post hanc vitam in omnem
æternitatem superstites infernalibus pœnis
sint subjectæ.*

Negant Photiniani, scribit enim Ostorod. in instit. germ.
c. 42. n. 5. mortem & infernum ita distingui, *ut mors sit mori, in
inferno vero esse mortuum esse*: hinc patet, mortuum omnem esse
in inferno; videatur Schmalz. in l. de div. Christi Jesu p. 146. &
Ostor. d. 1. *Sintemal Christus nur die warhafftigen Christen vnd
fein andere vom Tode vnd aus der Hellen erlösen/vnd ihnen das ewi-
ge Leben geben wil/ex quibus verbis sequitur, quod impii æternæ
morti adjudicati in inferno, hoc est, in statu mortuorū æternū
sint mansuri. Pœnæ g. infernales Photiniani nihil aliud sunt,
quàm denegatio vitæ æternæ per redactionem in æternum ni-
hilum omnium impiorum facta. Non g. luent pœnas supersti-
tes animæ impiorum secundum Photin. Nos ex textu ita ar-
gumentamur: *Quicumq; ejicitur in tenebras exteriores seu in-
tristissimum, ut pœnas luat, ille omnino post mortem hanc tem-
poralem est superstes. Atqui Filii regni [increduli] ejicientur in
tenebras exteriores seu tristissimū, ut pœnas luant. E. & c. Major
probat; quia pœnæ subjectum certum prærequirunt: nam
non Ens subjectum scilicet inhætionis esse non potest, nam
non Entis nulla sunt accidentia; unde sequitur, quod id, in
quod cadunt pœnæ, Ens superstes esse debeat. Minor proba-
tur rursus ex textu hoc modo: *In quemcunq; post hanc vitam ca-
dunt ploratus & stridor dentiū, hoc est, summa tristitia & summus
dolor, ille luit pœnas superstes. Atqui in Filios regni [incredulos]
post hanc vitam cadunt ploratus & stridor dentium. E. & c. Major***

manifesta est ex 2. Thess. 1. vers. 6. *justum est apud Deum vicissim
 rependere iis, qui vos affligunt, afflictionem, vobis autem qui affli-
 gimini relaxationem nobiscum, cum apparebit Dominus Jesus de
 caelo cum Angelis potentia sua.* Ex quibus verbis sequitur, homi-
 nes post hanc vitam aut præmia aut poenas manere; præmia au-
 tem non sunt conjuncta cum dolore sed gaudia; hinc ubi dolor
 erit, ibi pœna erit, scilicet in altera vita: sed illi qui erunt in
 manu Domini, erunt sine tormentis, sine dolore, sine pœnis
 Sap. 3. v. 1. E. qui erunt in tenebris exterioribus inter dentium
 stridores, sentient tormenta, pœnas, dolores. Minor est in textu;
 Siquidem in ipsum infernum seu $\pi\delta$ illud damnosissimum non
 cadet ploratus & stridor dentium, sed in illos, qui erunt in isto
 $\pi\delta$, ubi ignis consumit, ut tamen semper reservet, ubi tormenta
 augentur, ut tamen semper renoventur, ubi damnati moriun-
 tur, ut tamen semper vivant, ubi damnati sic vivunt, ut tamen
 semper moriantur: *vermis enim eorum non morietur, & ignis
 eorum non extinguetur.* Esai. 66. vers. ult.



Errores & incommodæ locutiones in adver- sariorum Postillis deprehensi.

1. Non solum oratio, sed etiam opera ab uno facta al-
 terum juvant. Coster. in explicat. brevi h. l.
2. Hæreticis non concedendum ut loquantur, ne facto-
 re suarum hæresium aliquem coinquent. idem.
3. Christus in curandis animabus non est tam celer [sc.
 sicut in corpore] quia in hoc interdum à nobis impeditur, qui
 eum hæc in re juvare debeamus: & mox: nostra cooperatio hic
 est necessaria. idem.
4. Accusando malam naturam nostram Deum hoc i-
 pso accusamus, qui hanc naturam nobis fecit. idem. p. 206.
5. Radii bonitatis Christi suscepti in cordibus istorum,
 quæ præparata erant. p. 208.

6. No-



6. Nota deinde Centurionem hunc neque Christianum fuisse, neque Judæum, sed gentilem, sine fide, vivendo in peccato incredulitatis & fortè in aliis peccatis, tamen eum multa bona opera fecisse. p. 209.

7. Stultum est nolle acceptare nisi Scripturas, cum Scripturæ mittant nos ad Ecclesiam Salmer. h. l. p. 141. tom. 6.

8. Fuit hæc fides [Centurionis] à Deo infundente, quam illi ob ejus bonitatem expressiorem donare voluit, quia bonus erat & servi sui curam habebat, idem h. l.

9. Christus tantum novitios sive Neophytos de fide commendabat, Apostolos verò reprehendebat quidem, si non crederent, sed de charitate & patientia & aliis heroicis laudabat. idem ibid.

10. In lege nova Sacramentis & sacræ Missæ Sacrificio mediantibus peccata remittuntur, dum homo dispositus ad hæc accedit. Lopez tom. 3. super hoc Evan. p. 140.

11. Lutherus imprudenter blaterat, Centurionis fidem majorem fuisse Abrahæ, Patriarch. Virginis & Apostolorum. Salmer. d. l.

12. Ist der Glaube Gottes Werck / folget draus / daß der Mensch von allen seinen Sünden gereinigt werde / durch das Blut Christi in ihme / vnd daß in weder die Ohrenbeichte noch das Sacrament reinige von Sünden noch die Absolvierung bey dem Priester's Weigel. in Post. super hoc Evan.



Ad



Ad Præstantis. Dn. RE-
SPONDENTEM.

Hydropem pariter curat, nervisq³ solutum
Christus, & ad querulas sanat utrumq³ preces;
Ingentemq³ fidem, probat, admiratur, honorat
Militis Ausonii, cui neq³ sacra parem
Terra tulit. Doctis hæc omnia lemma si queris
O WACHSMUDE tui viribus ingenii.
Disceptasq³ Dei duce gnarus, & auspice verbo
Quo sine sunt tenebræ quidquid hic orbis habet,
Adq³ seris veræ Christo Deitatis honorem,
Et quod ubiq³ salus nostra sit una fides.
Perge tuas sacrare Deo, turbaq³ piorum
Litterulas: opera premia larga feres.

Wolfgangus Heider M.

Turpis Adamigeni quàm sit corruptio morbi,
Leprosi exemplo, JANE verende, doces.
Dulcis Adamigeni quàm sit sublatio morbi,
Messiæ ex factis, JANE verende, doces.
Si laudem est meritum, morbum, medicumq³ revelans:
Tu mihi laude omni JANE, vehendus eris.

M. Salomon Glassius
SS. Th. Stud.

F I N I S.

94 A 7385

ULB Halle
002 728 095

3



VD17



1. An die ...
2. ...
3. An die ...





T IO

ica tertiae

as

ICE

E

R HARDO

OFESSORE

re eterna animi

mo,

mit

Longo-Saliffanus

il.

MANNI,

X.

